

ANDREAE MAXIMILIANI

FREDRO

PALATINI PODOLIÆ

MONITA

POLITICO-MORALIA ET ICON INGENIORVM

EDIDIT VITAM AVTORIS PRAEMISIT
ET PRAEFATVS EST

L. MIZLERVS de KOLOF

REGNI POLONIÆ HISTORIOGRAPHUS
IN SERENI. REGIS POL. AULA CONSILIAR.
MEDICVS VARSAVIENSIS

VARSAVIAE
ANNO MDCCLXV
TYPIS MIZLERIANIS



ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO

REVERENDISSIMOQUE DOMINO

IOSEPHO ANDREÆ

ZALUSCIO

EPISCOPO KIOVIENSI
ET CZERNIECHOV

ABBATI WĄCHOC. IN POLONIA

FONTANETI IN BURGUNDIA

VILLARIÆ BETNACI IN LOTHARINGIA

RELIQVA

DOMINO ET FAUTORI SUO

COLENDISSIMO

NEC NON

NEC NON

ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELLENTISS.

DOMINO

IOSEPHO

COMITI IN TENCZYN

OSSOLINIO

GUBERNATORI SENDOMIRIENSI


DOMINO AC FAUTORI SUO

COLENDISSIMO

D. D. D.

EDITOR.

Reverendissime, Illustrissimi atque Excellentissimi Domini,



Iure meritoque Vobis, ILLVSTRISSIMI VIRI, *reddo id, quod mihi dedistis mutuo. Non enim ita cito forte libellus hic vidisset in Polonia lucem, nisi* VOS *auctores mihi persuasoresque fuissetis, vt hoc opusculum, certe egregium, iterum typis exscribi curarem, sumptus in id benigne suppeditando. Quod si igitur hoc magni quondam in regno Senatoris scriptum & iuuentuti Polonæ & maturis etiam viris vsui erit & commodo,* VOBIS *gratiæ sunt habendæ.* TV, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, *iam ita patriam respectu litterarum ornasti, vt vix videaris habere, quæ addere possis. Non solum*

enim

enim continuo pro scientiarum in Polonia flore laboras, sed etiam sumptus, quantum fieri potest, magnos in hoc ponis, conditor bibliothecæ in Polonia Reginæ. Præter ea viros litteratos commendatione, humanitate, consilio adiuuas, foues, sustines, optime huius gnarus, quanta ex amplificatione scientiarum in patriam redundet vtilitas. Et Tu, illustrissime OSSOLINI, *non virtute tantum, verum etiam tanta in rebus patriis doctrina iam es ornatus, vt hoc plane ætatem Tuam superare videatur. Iam graui officio Tribunalis Radomiensis Mareschalci functus, Præside Episcopo Kiouiensi, consanguineo Tuo, (cuius fuistis tribunalis vltimi Præses & Mareschalcus) & amplæ prouinciæ Sendomiriensis gubernator, nullum est dubium, quin ad summos in patria honores adscendas per merita, si tantum ipse illum gloriæ et honorum campum tibi amplius aperias. Sic Vos, illustrissimi viri, antiquissimæ vtrique Vestræ prosapiæ, e quibus magni in republica viri prodierunt, plus splendoris affere, quam ab iis obtinere videmini. Ad extremum, vt*

quam

quam diutissime Polonia vestra virtute, labore, doctrina fruatur, sanitatem VOBIS *longæuam, felicitatis humanæ omnis fundamentum, apprecor, me autem gratiæ Vestræ, protectioni et amicitiæ, etiam atque etiam commendo, qui eo, quo par est, animo submisso sum.*

JLLUSTRISSIMI VIRI

VESTRORUM NOMINVM

Varsaviæ Ibid Sept. M.D.CCLXIV.

cultor obsequiosissimus
MIZLERUS de KOLOF

Præfatio

PRAEFATIO.

Nouam Tibi, lector beneuole, ob oculos pono clarissimi in Polonia Senatoris, *monitorum Politico-moralium* editionem; quae cuius sit prae ceteris pretii, tuum est iudicare. Variae iam, & apud exteros potissimum, libelli huius aurei exemplaria in lucem fuerunt prolata, in ipso Poloniae regno antea nullum, in Borussia Polona vnicum, vt infra in vita auctoris videndum. Quod res ipsas hoc in opusculo contentas attinet, facile apparet, monita maxima ex parte ad reipublicae libertatam ab auctore fuisse accommodata, ita vt magis ad vitam beatam in libera republica facere, quam in monarchia, vbi vnius dominatu omnia tenentur, ex vsu esse videantur. Credo ego vero, vbique posse ea vsui esse, si paucis mutatis secundum res circumstantes cum iudicio adhibeantur, id

quod

quod tam multae exterorum editiones affirmant.

Scimus ex Nepote, non eadem omnibus esse honesta atque turpia, sed omnia maiorum institutis iudicari: non admirabuntur igitur, auctorem in Polonorum virtutibus, & rebus politicis mores eorum secutos. Neque enim regni senator vel nuncius in comitiis liberae reipublicae Polonae ob id male audit, si obloquatur & contradicat, si quae contra leges fieri existimet. At id quidem aliis in regnis nefas habetur. Monita ergo haec politica eo in sensu sunt diiudicanda, quo ea scripsit auctor. Afferam vnicum tantum exemplum. In parte I. numero XVII. auctor dicit: *pluris est blandam negationem retulisse, quam morose obtinuisse concessum.* Nullus dubito, quin multi credant, hanc sententiam omnino esse falsam. Quis enim homo mediocris vel nullius fortunae malit blandam negationem referre, quam morose obtinere concessum. Sed auctor de regni proceribus, ni fallor, hoc

scripsit,

ſcripſit, qui ſæpius mediocria a Rege petunt, & illi certe malunt blandam negationem referre, quam moroſe obtinere conceſſum. Et ſic de variis aliis, quæ omnia ad amuſſim examinare hic non eſt locus. Latinitatem auctoris quod attinet, pauca adhuc habeo quæ dicam. Fatendum, eam non eſſe ſemper puram ac terſam, & pro iuuentute Polona, quæ nunc longe maiori ſtudio elegantem veterum Romanorum ſermonem colit, minutum ſpecimen adiiciam, ex parte tantum prima, vbi dictum:

I. *virtuoſi nomen.* Sed a virtute nemo dicitur, vſu Latinorum, virtuoſus, melius *virtute præditus.*

III. *properanter*, Latinius feſtinanter.

V. *Impoſſibilia*, melius, quæ fieri non poſſunt.

Satagenter, aduerbium plane barbarum, dicitur Latine, *ſine anxietate*, ſine difficultate.

IX. *per riſum habe.* Nemo Latinorum dixit, per riſum habere, ſed irridere, ludibrio habere, in riſum conuertere.

XII. *quam neſcitiam ſimula.* Neſcitia, vox plane barbara, vt neſcientia, dicitur Latine inſcientia, inſcitia, ignorantia.

XV. *zelus*, vox Græca, melius *æmulatio.*

XXI. *Satagentius*, eiusdem farinæ, ac *Satagenter.*

ibid. *ruinati*, eſt Latinitatis culinaris Polonæ, auctor dixit, *de ruinatis et in integro non viſis*, nempe ædificiis: dicitur Latine de collapſis ædificiis.

XXVIII. *diſcurſus familiares*, barbarum vocabulum, vti diſcurrere, pro diſſerere, vel diſputare. Latine *ſermones familiares.* Diſcurrere enim eſt vltro citroque currere.

ibid. *affectatus*, loco nimis exquiſitus, vel odioſus.

XXX. *ſecundum poſſibilitatem*,' melius, quantum fieri poteſt.

XXXIII. *circuitive*, plane barbarum, Latine per ambages, per circuitionem.

XLVIII. *Honoratio* pro veneratione.

LXXIV. *opinio diuitiarum et nummoſitatis.*

tis. Nummoſitas vocabulum eſt plane barbarum. Latine dicitur: opinio diuitiarum & numorum copiæ. Nummoſus recte dicitur, qui multis numis præditus, vel bene nummatus.

De his, & qui in ſequentibus huius libelli partibus, leguntur Soloeciſmis, plura non adiiciam, & facile ſibi cultioris Latinitatis amatores ab iis cauebunt. Sed tantum abeſt, vt illuſtriſſ. auctoris Latinitatem obelo velim notare, vt potius, ſi nucleus ſit ſapidus putamina negligenda eſſe exiſtimem. In tanto auctore res, non verba conſideranda.

Ad extremum lætus animo meliora in Polonia ratione ſcientiarum artiumque tempora certus ſpero. Rex enim noſter Sereniſſimus, STANISLAUS AUGUSTVS, inter virtutes Regias omnes, & illa ornatus eſt, vt amore non ſolum ſcientiarum artiumque teneatur, ſed & a iuuentute omni doctrina inſtitutus doctiſſimusque ſit. Humaniſſi-

mus

mus ſimul, iuſtiſſimus ac generoſiſſimus. Ille qui per virtutes plane Regias ad Solium adſcendit, ille etiam virtutes & merita ingeniorum excitare præmiisque afficere quam optime didicit. Atque adeo maior nunc erit ſcriptorum etiam libertas, qui antea vel ob minimam rem vexabantur. Non ſemel hoc expertus ſum ex mera inuidia. Quis credidiſſet me publice citatum & iudicatum in iudicio regni Mareſchalcali fuiſſe ob ſequentia, quæ ſcripſi in collect. magnæ omnium hiſtoriarum Poloniæ ſcriptorum Tomo I. p. 476. reſpectu Curlandiæ, nempe Sereniſſimum principem Regium *Carolum*, ducatum illum magis auguſtiſſimæ Ruſſorum omnium Imperatricis Eliſabethæ gratia, quam Polonorum obtinuiſſe. Tota Europa, hoc verum eſſe, ſciuit, Varſaviæ autem nonnulli ex nimia forte ſapientia, me priuatum, ſtatus iura læſiſſe putarunt. Quis credidiſſet, in crimine ſtatus mihi fuiſſe poſitum, ſcribenti; Imperatrix Ruſſorum omnium. Quis credidiſſet,

male

male acceptum iri, quando in annalibus Ioannis Casimiri Regis, p. 57. de Moschis, seu Russis hodiernis ad veritatem scripsi. Quis credidisset, vitio mihi dari, quando magni illius herois, sed erga Poloniam male animati, consilia, quo modo Polonia facile occupari possit, lingua Polonica euulgaui, non obstante præfatione, vbi dictum quem in finem. Et tamen hæc omnia sunt facta. Sed satis de hoc.

Gaudeamus potius, Musas Polonas iam feliciora expectasse tempora, quæ interregni tempore ne mimimum quidem fuerunt turbatæ, quo omnia ita pacate, tranquille, prudentissimeque fuerunt peracta, vt nullum in historia Polona extet exemplum interregni, quod huic comparari possit. Vnusquisque summa fruebatur securitate, nemo, nisi pacis publicæ turbator, læsus. Hæc otia nobis, si a prouidentia diuina discesserim, Dii Poloniæ, Celsissimi principes *Czartoriscii*, cum Serenissimo nunc Rege & Celsissimo Primate, Russia & Borussia adiuti, atque in primis magnæ *Catharinæ* Imperatricis, consummatissimi Ministri & Oratoris, illustrissimi comitis a *Kayserling*, consiliis prudentissimis fulti, fecerunt. Benedicite, Musæ, his magnis, felicissimisque Reipublicæ Polonæ seruatoribus ad sera vsque tempora, & plaudite. Tu vero, lector beneuole, vale, & plura in posterum, quam antea, a me expecta. Scribebam Varsaviæ Idibus Septembris, anno M.DCCLXIV.



VITA
ANDREÆ MAXIMIL. FREDRO.
Caſtellani Leopolienſis & deinde Palatini Podoliæ.

ANDREAS MAXIMILIANVS FREDRO, ex antiqua oriundus proſapia, cuiusque familia per ſex in Polonia floruit ſecula, nunc autem extincta, inter principes doctorum ſuo tempore virorum merito refertur. Gentem Fredrorum ex Italia duxiſſe originem ſcimus ex hiſtoria. CLEMENTIS nempe, epiſcopi Cruſviciæ, ex Italia cum fratre BONIFACIO an. 999. venientis, pater, in Italia vitam egit, *Mierzb* dictus. Hic *Bonifacius Mierzb*, varios oportet vt habuerit deſcendentes, per tria ſecula in Polonia florentes, Boniecii tunc temporis a ſtemmate & iure *Bencza* * dicti, cum *Fredro* nomen adhuc erat ignotum, & de his nihil certi habe-

(*) Inſigne ſeu ſtemma *Fredrorum*, antea *Boniecciorum*, gentilitium fuit vnicornium, ſeu monoceros albus, in tabula cærulea, quem Poloni in doctrina de inſignibus *Bencza* dicunt.

habemus, quod ſcribamus, cum iſtis temporibus nil literis memoriæ mandabatur. Haud accurate igitur ſcripſit *Franciſcus Glinke* in vivario (*zwierzyniec iednorozcow*) quando dixit: fratrem *Clementis* epiſcopi habuiſſe filium *Mierzb* II, qui duos genuit filios, *Nicolaum* & *Boguslaum*, vtrosque canonicos Cracovienſes. Sed non ſolum plures debuit habere filios *Mierzb* II, verum etiam vi calculi inter *Mierzb II & Dobieslaum* nouem ad minimum intercedere debuerunt generationes.

Bonifacii ex poſteris *Dobieslaus*, Fredro primum dictus fuit, an. 1338 aulæ mareſchalcus *Caſimiri* Magni Regis, cuius gratiam conſecutus, *tanta premebatur inuidia*, (ſunt verba Franc. Glinke in vivario. plag. B4.) *viri cuiusdam Germani, vt nulla reuerentia palatii principis, verbali primum contracto litigio, arma in Dobieslaum ſtringeret Germanus, ſed Dobieslaus valentior, arte declinato aduerſarii gladio, & ſui iuris facto, affixit incruento verbere Germani caput, vt Germanice exclamaret repetens*, Frid Herr, Frid herr, Frid herr, *quod petentis pacem ſignificat, unde ab eo vocabulo, Dobieslaus pro venuſtate iocantis aulæ ac Regis, appellatus* FRIDER, *inde ſerio ab*

omnibus FREDRO & *ab eo* FREDROVII.

Filius Dobieslai, Andreas Castellanus Haliciensis, ex Iarochna Chotkonis Ducis de Bybel filia, genuit NICOLAUM, Succamerarium Camenecensem, seu Podoliæ, qui pater fuit IOANNIS FREDRO in Pleszowice, Palatini Russiæ, nati circa an. 1448 ex Anna Kierdeiowna, & mortui ex vulneribus in bello Valachico susceptis an. 1497. Fratres habuit, ANDREAM, Palatinum Podoliæ, virum magni in patria nominis, IACOBUM, Succamerarium Camenecensem, cuius filius *Laurentius* ad Bajazetem, Turcarum Principem fuit legatus, & HENRICUM. Hic maxime errat *Franciscus Glinka*, qui a quarto filio Nicolai Succamerarii Podoliæ, Henrico, deducit tanquam filium FRANCISCUM, qui pro coniuge habuit Catharinam, Succamerarii Premisliensis *Dersniak* filiam. Hic autem Franciscus non fuit filius Henrici dicti, sed IOANNIS Palatini Russiæ, id quod probant *acta Premisliensia, feria tertia ante festum Sancti Ioannis Baptistæ an.* 1509. IOANNIS igitur, Palatini Russiæ, filius, & auctoris nostri atauus fuit NICOLAUS, qui genuit ex Catharina Kormanicka, subiudicis Premisliensis filia IOANNEM,

auctoris nostri abauum, hic vero, ex Kormanicka etiam, STANISLAUM illius proauum, & Stanislaus ex Catharina Morawicka, ANDREAM tribunum Premisliensem, nostri auum, qui filium habuit ex Elisabetha Wilczynska GEORGIUM, Dapiferum Premisliensem, auctoris nostri patrem. ANDREAS vero MAXIMILIANUS noster in matrimonium duxit Catharinam Gidzinskam, regni venatoris filiam, ex qua suscepit filios tres, & duas filias, ex quibus *Theressia* nupsit Łączynskio, succamerario Novogrodensi, *Anna* vero *Michaeli* Duci *Czartoryiscio*, Capitaneo Cremenecensi, & deinde *Friderico Sapieha*, Palatino Trocensi, qui pater fuit Cancellarii Lithuaniæ, magni nostris temporibus in Polonia Mæcenatis. Ex tribus vero filiis STANISLAUS steriliter mortuus, GEORGIUS autem Castellanus Leopoliensis, ex vidua Palatini Lublinensis *Rey*, nullam habuit prolem, & *Iosephus*, Castellanus itidem Leopoliensis post fratrem *Georgium*, ex Siemianowska, vexilliferi Sandomir. filia, duas tantum filias, quarum vna *Stanislao Rupniewski* Castellano Malogostensi nupsit, & nunc vidua Varsaviæ vitam tranquille agit, altera Leopoli religiosa.

(b2) Gentis

Gentis *Fredrorum*, quantum ſcio, quattuor fuere lineæ, & non ſolum principalis, in linea recta a *Dobieslao Fredro*, curiæ Mareſchalco, deſcendens, cum Ioſepho, Caſtellano Leopolienſi, auctoris filio, extincta fuit, ſed & ſecunda linea, deſcendens a *Sigismundo*, Ioannis Fredro, Palatini Ruſſiæ, auctoris noſtri tritaui, filio, poſt ſextam generationem cum *Ioanne Fredro* tribuno Premislienſi, cuius coniux fuit Orzechowſka. Sic & tertia linea, a Ioanne, Subdapifero Premislienſi, fratre Andreæ tribuni Premislienſis, deſcendens, cum Alexandro, epiſcopo Premislienſi, qui fratrem *Ioſephum* habuit ſterilem; & tandem quarta, a *Petro* Ioannis nunc dicti ſubdapiferi Premislienſis fratre, cum Ioanne Fredro, capitaneo Crosnenſi, cuius ſoror fuit *Catharina*, Hieronymi Załuſki, Caſtellani Ravenſis, illuſtriſſ. com. Zaluſcii, Kiovienſ. epiſcopi patrui, conſors. Pater vero illius fuit Sigismundus Fredro, Caſtellanus Sanocenſis, mater autem *Sophia Waſieczynſka*. Ex hac Catharina Fredrowna, Hieronymus Załuſki, Caſtell. Rav. ſuſcepit filium *Ioſephum*, gubernatorem Ravenſem, & duas filias, *Catharinam*, Stephani Garczynſki, Caſtellani Iunivladislavienſis,

ſis coniugem, & *Thereſiam*, quæ Caſtellano Varſav. Adalberto *Weſſel*, nupſit, principis Regiæ *Conſtantinæ* Fratre germano.

Hæc ſufficiant, quæ diximus de familia illuſtriſſimi noſtri auctoris & antiqua eius proſapia, ob quam vix ac ne vix quidem poſteris ſe commendaſſet, niſi ob virtutem, doctrinam, prudentiam & merita in rempublicam magni eſſet faciendus, qui non ſolum vir probus, ſapiens, doctiſſimusque, ſed & Senator reipublicæ & diligens & prudens & patriam amans fuit, ex Caſtellano Leopolienſi, paulo ante mortem tempore, factus Palatinus Podoliæ.

Patris auctoris noſtri frater, *Iacobus Maximilianus Fredro*, regni Referendarius ſimiliter ac auctor noſter habuit laudem in Polonia in re litteraria, cuius elogium legitur in operibus Potocianis, ab illuſtriſſ. Epiſcopo Kiovienſi comite Zaluſcio, Bibliothecæ Varſav. publicæ conditore, et rei in Polonia litterariæ ſummo amplificatore editis, *centur. clariſſ. virorum p.* 126, qua data occaſione de auctore noſtro etiam quædam memorantur, his verbis: „ lugere non ceſſarent hacte„nus etiam orbata ſubſellia, vix repara„bilem tanti viri exceſſum, niſi in nepo-

„te (*) *Andrea Maximiliano*, Castella„no Leopoliensi, prouidissent fata: ne „aut rei litterariæ & clarissimæ Fredo„viæ domui alter *Plutarchus*, amplissi„mo ordini inconcussus & tenax propo„siti Senator, rerum sacrarum religioni „inter tumultuarios eam oppugnantium „fluctus periclitanti deesset cultor.

Ceterum fuit pius, laboriosus, sobrius, grauis & patriæ fidelis, quam super omnia amauit, ita vt nunquam neque præmiis, neque pollicitationibus corrumpi potuerit. Et hanc ob causam non solum exterorum factionibus tanquam heros se opposuit, sed etiam vbique veritatem profiteri, tum publicis in negotiis, tum inter amicos, minime dubitauit, id quod maxime, cum esset a. 1562 comitiorum mareschalcus, probauit, quo tempore Dapifer fuit Leopoliensis. Cum Cosaci claustrum patrum Reformatorum Premisliæ funditus euertissent, iterum illud exædificauit, fortique cum muro circumdedit, ibique humatus

(*) Nempe ex fratre. Pater enim auctoris nostri quinque habuit fratres, *Stanislaum, Petrum, Ioannem*, iudicem Premisliensem, *Nicolaum* Episcopum Valachiæ, & *Iac. Maximilianum*, regni Referendarium, qui omnes prole caruerunt.

matus est. In bonis suis calvariæ locum ad instar Hierosolimitanæ pietate ductus erexit. Apud Zboroviam & Beresteczko sufficientem militum numerum contra Tartarorum irruptiones suo sumptu aluit.

Tartaris regionem vastantibus, innumerisque ad incitas redactis incolis, auxilio his fuit, cum haud contemnendam pecuniarum vim ad collegium Soc. Iesu Premisliense inter pauperes distribuendam misit. *Ioanne Casimiro* Rege, omnibus tempore belli reditibus exuto, legationem in Hungariam suo sumptu cum splendore & magnificentia obiit. Ex his & scriptis eius haud obscure apparet, magnum auctorem nostrum fuisse in republica Polona virum.

Adiiciamus nunc catalogum omnium magni huius viri operum paulo accuratiorem, quem eo facilius conficere potui, cum omnes libros e bibliotheca Zalusciana benigne suppeditatos habui atque adeo varias eorum editiones, quas non oculis lustraui solum, sed maxima etiam ex parte perlegi. Sunt autem sequentes:

I. *Andr. Maximil. Fredro gestorum populi Poloni sub Henrico Valesio, Po-*

lororum, postea vero Galliæ Rege. Dantisci Sumptibus Georgii Forsteri S. R. M. Bibliopolæ. M. D. C. LIX. cum privil. S. R. M. Poloniæ & Sueciæ. in 4to maiori. Alphab. vnum, plagulæ sedecim.

Hæc historia quatuor annorum *Ioan. Casimiro* Regi, a bibliopola dicata. Splendide typis est expressa, sed variis erroribus typographicis referta crassioribus. Describit auctor clarissimus stilo satis terso, sed non omni ex parte puro, historiam interregni post mortem Sigismundi Augusti, in qua in primis notandum: „ Oratores Imperatoris Romani senatorum cuidam secreta præmia „obtulisse, & bono in Archiducem Ernestum a„nimo esse per humanitatem iussisse, qui vero Se„nator respondit: muneribus imperuium animum „teneo, Oratores, Polonus sum. Si hæc vestræ „erga me benevolentiæ signa sunt, gratus lubens„que accepto, similia amicitiæ testimonia a me „expectate, nulla in cætera spe. „ Et ob hoc factum Orator Galliæ, *Ioan Monlucius*, iu oratione sua ad senatum habita, inuehit in Oratores Imperatoris, & *inter multa alia illud primum est, inquit,* quod comitia vestra numerosissima, a peste illa, id est, largitionibus & corruptela (quæ Romana comitia infecerant) fuere semper & sunt alienissima, atque inde magnum vestro nomini integritatis ac erga patriam fidei gloriam comparastis. Idem Orator Gallus hæc verba memoria digna in oratione sua protulit, cum multa eaque maxima Polonis promitteret: „ Si de fide nostra, de qua „aimus, dubitatur, nos legatorum persona depo„sita, in arce custodiri non abnuimus. „ *Sic tempora mutantur & nos mutamur in illis!*

Narrat auctor etiam fideliter dictum *Zborovii* liberius ad Henricum Regem p. 116. „ Cum nem„pe Parisiis pacis dissidentium in religione fieret „mentio, tres oratorum, protestatum esse contra, „dixere; nec posse inter pacta conventa accepta„ri. Ad ea respondit Rex: se in eo nihil conclu„dere posse, in quo legati non conuenirent. Tum „*Ioan. Zborovius*, vnus ex legatis, isque diuersæ „religionis homo, obuersus ad *Monlucium*, qui „nomine *Henrici* legatum in Polonia egerat, vti„que, inquit, ni vos legati nomine Principum „hanc conditionem acceptassetis, hicce princeps „nobis contradicentibus in Regem non poterat „eligi. Notauit *Henricus* Monlucium cum Zbo„rovio acerbius colloqui, sed cum verba sermo„cinantium, in parte audire non posset: quid te„cum loquitur, ad Monlucium conversus, inquit, „hic Polonus orator? Tum Zborovius præoccu„pans responsum Monlucii, nec quidquam cun„ctatus; Aio, inquit, Rex Serenissime; ni hi o„ratores tui hanc conditionem dissidentium de „religione, vti cætera omnia, nomine tuo accep„tassent, nobis contradicentibus, Rex eligi non „potuisses, *imò ni iam approbaueris, Rex Poloniæ* „*non eris.*

Affert etiam auctor ea, quæ illo interregni tempore in vtramque partem fuere disputata, vtrum indigena vel *Piastus*, an extraneus princeps eligendus? *p. 89 vsque ad 100*, & pag. 181 argumentum maxime memoria dignum pro eligendo Piasto profertur, huius tenoris: *vtilius est eum Regem habere, qui absque nobis aut di-*

 ves,

„ves, aut fortis esse, atque ideo etiam iratus no„cere non possit.

Data occasione auctor bellum Valachicum sub idem tempus gestum, contra Turcarum Imperatorem per *Juanum* vel Ivoniam, Palatinum Valachiæ, p. 189 vsque ad p. 248 diligenter describit.

Finit tandem hoc opus, cum electione Stephani Bathorei, & nescio qua ratione finis operis cum his præfationis verbis minime quadrat, in qua auctor dixit: *porrigam ego hic paucorum annorum gesta, sub quatuor Regibus, vsque ad decessum Vladislai quarti, & initia sceptrorum Ioannis Casimiri.*

Editio huius libri prima, Dantisci apud Forsterum in 4to, nitide etiam typis exscripta, a. 1652, sed erroribus typographicis, vt secunda, scatet, in lectoris tamen vsum errata typographica in fine sunt adposita.

Tertia editio, in 12, anno 1660. ibidem & apud eundem, melior videtur prima ac secunda, & in titulo additum est: *Liber vnus, ab ipsomet auctore recognitus & correctus.* In ipso libro nihil est adiectum, nisi in præfatione, quando dictum: *porrigam ego paucorum annorum gesta sub quatur Regibus*, hæc verba: *si tempus suppetat*, quod non factum fuit, quantum scio. Et auctor noster non quatuor Regum historiam, prout in animo habuit, sed vnius tantum scripsit historiam, *Henrici Valesii.*

II. Andreæ Maximil. Fredro, Castellani Leopoliensis, Sriptorum seu togæ & belli notationum Fragmenta. Accesserunt peristromata Regum Symbolis expressa. Dantisci

Dantisci Sumptibus Georgii Försteri. S. R. M. Bibliopolæ. MDCLX. cum privilegio S. R. M. Poloniæ & Sueciæ, *in 12.* finit cum pag. 381.

Pulcherrimus est hic libellus, sapientissimis consiliis repletus, & vbique profundæ veræ politiæ eruditio elucet. Neminem, vel Senem, vita in aula practica subactum poenitebit, hunc libellum legisse, & iuniores legendo eum, relegendo, & in succum & sanguinem plane conuertendo, ex paruo libello magnum sibi comparabunt thesaurum, in vita practica vtilissimum. Ex vnico hoc illustriss. auctoris libello nobilis iuuenis Polonus domi plus discere potest, quam si in Gallia iter faciens sexcentos libros recentiores istos legat, qui tantum oblectamenti animique causa scripti sunt, in quibusque præter historiolas lepidas & ingeniosas descriptiones pauca contineantur, quæ ad veram sapientiam & vitam beatam faciant.

Contenta huius libelli sunt.

I. Principum Christianorum norma, adiecto militari monito.

II. Ratio legationis mittendæ, agendæ, recipiendæ, apposito discursu de loco Poloniæ legatorum.

III. Quomodo viuendum penes Principem.

IV. Seditio militaris & prouincialium sopienda, tum quomodo obuiandum, ne fiat.

V. Responsum in gratiam cuiusdam sermonis priuati, bonone fiat reipublicæ Polonæ? Vbi non pluralitas vocum, verum consensus ponderatur.

VI.

VI. Methodus lectionum filiis suis instruendis præscripta.
VII. Hastatus eques præstat equite ferentario.
VIII. Lineamenta humanæ mentis.
IX. Qui in republica plurimum agendo valent.
X. Cautio reipublicæ, seu durationis omen.
XI. Rerum publicarum ruiturarum Signa.
XII. Minores aut magnæ virtutes, diuerso modo in animis vulgi se habent.
XIII. Diuersis ingeniis diuerse vtendum. Qui non valet in vno, præstat in altero.
XIV. Refutantur Scriptorum quorundam scommata, maligne aut per leuitatem in Polonam gentem iacta.
XV. Librorum legendorum ratio.

Sequuntur *Peristromata Regum, seu memoriale principis monitorum Symbolis expressum,* quod salutari pro principe doctrina refertum. Hæc peristromata continent:

I. Peristroma, de bibliotheca Principis.
II. de Principis cura circa religionem & pietatem.
III. de amore veritatis in Principe.
IV. de gratia Principis.
V. de arbitrio poenarum & præmiorum in principe.
VI. de præsentia & absentia Principis.
VII. de Principis consiliis secretis.
VIII. de Principis liberalitate.
IX. de agricultura eiusque cura.
X. de populositate siue numero populi.
XI. de necessaria meditatione belli in pace.
XII. de dissimulatione Principis.
XIII. de concordantia & nexu causarum.

XIV.

XIV. de coërcendis Erroribus.
XV de avaritia & opibus iniuste collectis.
XVI. de indagando & cognoscendo populi genio.
XVII. de lenta festinatione.
XVIII. de maiestate ex cumulo virtutum metienda.
XIX. de securitate Principis.
XX. de meditatione mortis.

Non possum non hic ex quarto peristromate de Rege *Bathoreo* quid adiicere, animi causa pro lectore.

„Non ignorauit eam gratiæ vim (nempe si Rex „cum subditis humaniter agat, eorumque sibi amo„rem conciliet) *Stephanus Bothoreus*, Rex noster, „qui bellicosus princeps dum esset, dicere sole„bat; *se tot equitum turmas sine publici æris di„spendio in aciem educere posse, quoties posset ac„commodata in rem vultus Serenitate, levare pi„leum.*

„Cum enim haberet in vsu, vt se non infrequen„ter communicaret optimatum conuictibus, hunc „blando alloquio, illum leni aspectu, alium nutu, „singulos verbo dignabatur, *comitate & alloquiis „officia provocans*, tum in maius argumentum gra„tiæ, (sed hæc intra regiam grauitatem) propi„nato per prægustatores Regio poculo, omnium „rapiebat animos & parabat sibi amores, leuabat „insuper prompte pileum in maius condimentum „comitatis, & simul futuri belli magnificum inter„ferebat discursum, sic optimates principis sui co„mitate deliniti, in eo, quod gratissimum erat bel„licoso animo, promptum studium pollicebantur, „hic cohortes peditum, ille equitum hastatorum

„turmas

„turmas, dein alii ferentariorum subsidia; simul „Stephanus loquentium obseruabat affectus, „prompta leuatione pilei, grata sibi esse, quæ af„ferrentur, testando, munificum se data occasione „vicissim præstaturus, vt ille prompta gratia, tan„tum assequeretur (nam supra mercenarium ex„ercitum, ex gratuitis optimatum subsidiis, cum „hic magna eorum potentia sit, decem aut „amplius militum millia subsidio belli educebat,) „quantum alter pro imperio assequi non potuisset.

Altera editio sub inscriptione: *Scriptorum, seu togæ & belli notationum selecta*, prodiit Francofurti ad Moenum, sumptibus Georgii Erhardi Martii, typis Ioh. Dieterici Fridgenii in 12. a. 1685. Nihil est in hac editione additum, nisi bibliopolæ dedicatio, Principi *Christiano Ernesto*, Marchioni Brandeburgico, scripta.

Idem libellus lingua Germanica prodiit sub titulo: Staats und Sittenlehre. Sunt paginæ 448. in 16. Francofurti, Mart. Hermsdorf Sumptu, typis Jo. Hauff. 1684.

Altera editio Germanica cum Latino prodiit an. 1698, sumptu Mart. Hethii, typis Joh. Dieterici Friedgen.

III. *Monita Politico moralia & Icon Ingeniorum*. Dantisci in Bibliopolio *Forsteriano* in 12. 1664. continet paginas 171.

Hanc editionem maxime adhibuimus, cum hæc nostra nouissima typis exscriberetur, conferendo omnes alias, vbi defectus, vel error typi insignis obueniebat, id quod sæpius accidit.

Secunda editio ibidem prodiit an. 1679. in 12. continet paginas 206.

Tertia

Tertia editio Francofurti, impensis Martini Hermstorfii. in 12. an. 1687. continet pag. 206.

Quarta editio sine Icone ingeniorum, Viennæ, Honori illustr. Dom. comitis de Rovarellis S. C. M. ephebi, dum suprema Philosophiæ laurea in antiq. ac celeb. Vniuers. Viennensi à R. P. Gabr. Frölich e Soc. Ios. AA. LL. & philosophiæ Doctore, eiusdemque Professore Ordinario, solenni ritu condecoraretur, dedicata, ab applaudentibus condiscipulis commagistris a. 1692. mens. Aug. in 12.

Quinta editio Francofurti sumptu Martini Hermsdorf, typis Petri Begereisii an. 1694. continet pag. 165. in 12.

Sexta editio ibidem per eosdem an. 1697. in 12. continet pag. 206.

septima editio Vesaliæ impensis Jacobi a Wesel. an. 700. in 12. pag. 256.

Octava editio Inglostadii typis Thomæ Graff. in 12. an. 1701. pag. 251.

Nona editio Francofurti ad Moenum, impensis Wolfg. Christoph. Multz, typis Matthiæ Andreæ an. 1719. in 12. cont. pag. 213.

Decima editio nostra.

Præter dictas editiones extant monita hæc in illustriss. Cancellarii *Sapiehæ* Suada Latina, Tom. III. Part. II. p. 198.

Traductio Gallica sub titulo: *Instructions morales & Politiques* par l'eissier, à Cologne sur la Sprée chez Ulrich Liebert, imprimeur de s. s. E. de Brandebourg. MDCC. in 12. pag. 245.

Translator huius libelli in cognitionem illius venit, per illustriss. Dominum *Valkenier*, de quo sequentia memoriæ in præfatione mandauit: „un „des plus habiles & de plus eclairez ministres de

la Republique

„la Republique de Hollande, qui s'est rendu célé-„bre par diverses Ambassades, qu'il a exercées avec „beaucoup de gloire, & par les beaux livres qu'il „a mis au jour, a toujours dans sa poche un Exem-„plaire de ces instructions, qu il ne se lasse jamais „de lire & de relire. C'est cet illustre Ministre, „qui m'a fait connoitre ce Traité qui n'avoit pas „pénétré dans la France meridionale, ou je suis né.

Braunius de Scriptorum Poloniæ virtutibus & vitiis p. 221. hæc de auctore nostro scribere non dubitauit: „ zelus eius „pro religione Romana contra dissiden-„tes vbique prominens, apud clerum illi „auctoritatem, & solita persecutorum „fidelium merita, denique reuerentiam „apud omnes peperit, vt errores vel ve-„ritates conclusionum eius, nemo ad ob-„russam facile exigere velit. Lecta apud „alios scriptores vir ille non sibi soli „seruare voluit, sed amicos quoque in-„struere, imo feros adhuc nonnullos Sar-„matas, literarum humaniorum dialo-„gismo mansuefacere. Hunc certe sco-„pum non male ferit, sed vt religionis, „ad pompam externi cultus penitus a-„dornatæ, zelus, vt patriæ mos, vt amor „suæ gentis, affectus eius inflarunt, ita „mens a se ipsa, aut ab aliis Scriptoribus „auerta, concoxit, & impetum sententi-„is verborum fluxus addidit. Qui apho-

„rismos

„rismos hosce, demptis istis præiudici-„is, ad normam veritatis resoluere valet, „mox, qui veri, qui falsi sint, pronun-„ciare potest.

Parum iniquius clarissimus Braunius, Scriptor ceterum satis accuratus, de nostro illustrissimo auctore fert iudicium, qui non adeo, quantum memini legere, dissidentes in religione Christiana calamo est persecutus. Et si vitium est, pro religione sua æmulari, certe eodem vitio laborauit *Braunius*, qui haud paucis in locis suorum scriptorum idem fecit, quod obiicit Fredroni, id quod in causa fuit, vt a Scriptoribus catholicis plus sæpius etiam quam par est vituperetur. Viri sapientes a nimia ista æmulatione & persecutione, maxime religionis causa, abhorrent, videntes per aliquot secula nil iis amplius fuisse effectum, quam vt animi fratrum Christianorum magis inter se fuerint exacerbati. Studeamus potius Seruatoris nostri præcepta obseruare diligentius, qui *inimicos amare*, & *neminem*, qui eum sequantur, *religionis causa damnare* iubet.

IV. *Militaria vel axiomata belli. ad harmoniam Togæ accommodata. Pars prima, Amstelodami in 4. apud Forsterum*

rum

rum ann. 1668. continet pag. 220.

Punctum primum de potentia populi, quam illustr auctor accurate explicat, & in his ponit: I. In auctoritate „ gentis. II. Populositate seu abundan„ tia populi. III. In opibus priuatis. „ IV. In re frumentaria. V. In armis „ VI. In armorum exercitio

Non possum non hic sapientissima illustris auctoris verba, quæ ad comparandam genti auctoritatem faciant, adducere, scribentis:„ Publici Historiographi „ habendi, rectâ prudentiâ, acta gentis, „ bonaque civium nomina posteritati „ transmissuri ad gloriam, ignauorum ad „ reprehensionem, inde bonis calcar ad „ meliora, malis ad peiora frenum, a„ more gloriæ, vel metu ignominiæ. „ Posteriora super hæc tempora populi „ erudiuntur, ex anteactis præteritorum „ quid in præsens mutari, quid corrigi „ debeat, quid antea successit in peius, „ quid in melius.

„*Punctum secundum, de ærario, id est, de septima parte potentiæ rerum publicarum.*

Punctum III. quid suscepto bello agendum?

Post-

Punctum IV. de itinere exercitus

Punctum V. de castris & exercitio, tum de consiliis belli exequendis.

Punctum VI. quo modo evocandus hostis cunctabundus?

Punctum VII. quid ante prælium agendum?

Sequitur *additamentum ad tractatum militarium* & appendicis loco extra materiam belli adiecta 1.) *complementum Politico-Moralium.* 2.) *Prærogativa popularis status.* 3.) *Sermo de impudentia, eiusque causis.*

Hæc pars prior inuenitur etiam inserta in Tom. III. Scriptorum rerum Polonicar. collectore C. T. Ludovici, Sorniz. Misnensi.

Andreæ Maximiliani FREDRO, Palatini Podoliæ militarium seu axiomatum belli ad harmoniam togæ accommodatorum cum XXXII. figuris æneis & explicatione omnium terminorum architecturæ militaris genuinis Polonis vocibus redditorum. Tomus secundus Lipsiæ Typis Jacobaerianis MDCCLVII. in fol. Alphab. I plag. 9.

Hic liber posterior de re militari, praxin ad genium Polonorum continens, hæreditario iure ad auctoris ex filia nepo-

(c2 tem

tem, Illust. Dom. *Georgium Łączyński*, Castellanum Leopoliensem deuenit, qui codex authographus per manus Illustrissi: Episcopi Kioviensis, I. A. Zaluscii, dato ei prius apographo recte descripto, Serenissimo *Augusto II.* Regi optimo A. 1731. sub tempus exercitationis militaris generalis (vulgo *Campement*) in Varsaviæ viciniis, dono fuit oblatus in spem futuræ impressionis; sed ea haud facta, munificentia Celsissimi Principis *Jablonovii*, Palatini Novogrodensis, Regni Senatoris literatissimi & Mæcenatis generosissimi, in lucem fuit editus, per *Hiac Jos. Pianecki*, in equitatu M. D. Lit. centurionem, & Cels. Princ. Palat. Novogr. Secretarium, virum doctum, rei militaris gnarum, & in edendo hoc opere diligentissimum, qui id Domino suo inscripsit.

Contenta huius libri posterioris sunt.

Punctum I. de acie & prælio, & feruore belli.

II. Quid agendum post prælium, vel victoriam, vel acceptam cladem; post amissas, partasue prouincias.

III. de obsidionibus castrorum, ciuitatum, item defensionibus & quæ circa versantur.

IV.

IV. de maritimo bello in genere.

V. de architectura militari Mechanica.

Appendix continet terminos Polonicos in puncto V. omissos.

V. *Consyderacye około porządku Woiennego* &c. hoc est, *considerationes necessariæ circa ordinem militarem & motionem bellicam generalem, edidit Franciscus Glinka. Accedit œconomia bellica, & quomodo exercitus Reipublicæ in bono ordine manuteneri queat. Stuckii anni.* 1675. in 4to, continet pag. 117. adiectum est scriptum, *quomodo fluvii* Pina & Muchawca *uniri possint.*

Ii, qui in re militari Poloniæ reformanda nostris temporibus laborant, non sine vsu insigni opera Fredro nostri lecturi erunt.

VI. *Przysłowia mow potocznych abo Przestrogi*, hoc est: *Prouerbia sermone trita, seu consilia moralia, Politica, bellica, pro commodo Polonæ linguæ edita. Cracoviæ apud hæredes Luc. Kupisz. a.* 1664. in 8vo, continet pag. 70.

Hæc tertia & vltima editio auctior, & perfectior. Prima fuit impressa Cracoviæ apud hæredes Christoph. Schedel. a. 1658. in 4to. Secunda ibid. apud viduam Luc. Kupisz, sumptu Forsteri bibliopol.

 a. 1659.

a. 1659. in 4to. Ambæ non adiecto auctoris nomine, id quod factum est tertia in editione, per Stanislaum Januſzkiewicz, presbyterum.

Powtorne przyſłowia &c. hoc eſt: *Secundarii prouerbia* numero CCXI. extant in Fr. Glinkæ, *Zwierzyniec Fredrow* pag. 321. vsque ad finem.

In prouerbijs multas ineſſe veritates nemo eſt, qui dubitet. Hic prouerbia in Polonia vſitata, maxima ex parte collecta ſunt, ſed & multa etiam ab ipſo auctore excogitata. Exempli gratia: Kto mowi: nierządem Polſka ſtoi, ſam ma nierząd w głowie: hoc eſt, qui dicit: Poloniam regi confuſione, iſtius ipſum caput eſt confuſum.

VII. *Vir conſilii*, monitis Ethicorum nec non prudentiæ ciuilis, præludente apparatus oratorii copia ad ciuiliter dicendum inſtructus, Illuſtriſſimi ac Excellentiſſimi D. D. Andreæ Maximiliani de Pleſzowice *Fredro*, Palatini Podoliæ opus poſthumum. Acceſſere alia quædam Miſcellanea eiusdem authoris. Leopoli typis Collegii S. J. Anno Dei nati 1730. *in 4to, alphabetha duo plagulæ quindecim.*

Liber hic eloquentiam practicam in Regno

Regno libero laborioſe ſatis docet, & æquo iure potuiſſet inſcribi, Orator, ſeu Rhetorica pro vſu in republica libera, quam Vir conſilii. Multa inueniet doctus lector haud contemnenda hoc in volumine, quod ſumptibus grati nepotis, Magnif. D. in Kutkorz *Łączyńſki*, Vexilliferi Zydacevienſis, prodiit, qui poſtea Senatorium in ordinem adlectus eſt, qua Caſtellanus Leopolienſis.

Joanni III. Regi, hoc fuit opus manuſcriptum dicatum, ideoque dedicatio adiecta ab initio eſt.

Adiunctus eſt eiusdem auctoris *Lydius pſeudopolitiæ & obliquæ virtutis*, nec non *miſcellanea*, in quibus binæ literæ Joan. Zamoyſki, exercit. Polon. imperatoris, ad Carolum Sudermaniæ Ducem, Livoniam invadentem a. 1602 inueniuntur, vt & *Joannis III.* Regis reſponſum, cum auctor hoc opus ei obtuliſſet manu exaratum; tandem *parergon*, quod ex nonnullis epiſtolis & *præcuſtoditione in caſum belli Turcici* lectione digna, conſiſtit.

Tria autographa exemplaria olim, poſt obitum edenda, reliquit auctor, vnum Vniuerſitati Cracovienſi, alterum Zamoyſcenſi, tertium hæredibus. Hoc poſtremum ad Illuſtriſſ. Com. Zaluſcium, Epiſcopum Kiovienſem deuenit,

dono


dono prædicti Castellani.

Codici autem impresso huius libri, quem Illustriss. Excellent. Domino Referendario tunc Regni, nunc Episcopo Kiov. Palatinus Russiæ *Joan. Jablonovius*, Ser. Regis Stanislai avus maternus Principum Jablonoviorum patruus, propria manu tale inscripsit honorificentissimum mnemosynon: *Fredro renovatus* veteri amico meo, eruditorum Poloniæ Principi, *Josepho Zaluski*, consanguineo meo optimo A. 1730

Et hæc sunt opera clarissimi doctissimique in Polonia viri, dignissimi quondam Regni Senatoris.



ANDREÆ



ANDREÆ MAXIMILIANI FREDRO

Castellani Leopoliensis

MONITA POLITICO MORALIA.

Seu

Quomodo viuendum cum paucis, cum populo, salva virtute, gratia, & auctoritate.

Pars prima

POLITICO-MORALIUM

I.

DEUM publice & cum apparatu cole, vt tibi facto, aliisque proficias exemplo, virtuosi nomen, non ex vano paraturus, eoque potens.

II. Sobrius sis, vt eueniant tibi res sanæ, & sobriæ.

III. Omnia serio fac, & cum grauitate, nunquam obiter: Immo lente fac, nec properanter. *Currendo, non rependo, fit*

 lapsus.

lapſus. Deus cum magnificum opus mundi aggrederetur, & momento in vnico, pro ſumma poteſtate potuiſſet creare perfectum totum, prout potuit, immo fecit, ſed cum humano modo factum orbi repræſentat, ſex velut dies inſumſit operi, vt monſtraret mortalibus, magna niſi ſenſim poſſe fieri correcta, perfectaque: vel quia magis magnificatur opus, cui non obiter immoramur faciendo. Vis rem bene habere? Lente fac,& ſæpe corrige. De ipſa experire, reperturum te veſperi, quod corrigas, quod mane actum, aut habitum ex perfecto credidiſti.

IV. Sis publice munificus, ſine iactantia & prodigalitate, *perdere multi ſciunt, donare neſciunt.*

V. Non impera; non pete, niſi quæ obtinere ſperas, qui impoſſibilia petit, non vult habere, & ſimul vult offendi. Idque per alios petes, nec ſatagenter: Non obiice ſtatim auctoritatem, ſæpe quæ nimis petimus, nobis neganda præcavemus.

VI. Non promitte, niſi quæ præſtare potes, ne leuitatis arguaris.

VII. Non dic niſi quæ vera, & ſine inuidia audientium.

VIII.

VIII. Fruſtra minas intendis, ſi timeri non credis, potius præoccupa contemptum minarum, diſſimulatione.

IX. Meminiſſe magis oportet, quam iraſci aut dolere. Infra tuum animum eſſe doce, quæ acciderunt, ac potius per riſum habe.

X. Nec te lauda, nec vitupera, ab hoc contemptus, ab illo inuidia paratur.

XI. Non mirare, non canta, non lude, vt leuiuſculus.

XII. Non ſæpius quære, potius ſcientiam, quam neſcitiam ſimula.

XIII. Quæ tibi difficilia aut ignota obiiciuntur, tacendo excipe. *Stultus quoque ſi tacuerit, ſapiens reputabitur,* (Prov. Salom.)

XIV. Non crebrum, lentum, non affectatum, & prope ænigmaticum ſit alloquium: Sed tamen librata nimis & eluctantia verba, faſtidium (immo ſuſpicionem) pariunt audientibus, & cathedram ſapiunt, ſolutior nonnihil ſermo, magis familiaris eſt, velut de Petronio Tacitus: *Cuius dicta, factaque, quanta ſolutiora, & quandam ſui negligentiam præ ſe ferentia, tanto gratius in ſpeciem ſimplicitatis accipiebantur.* Circa

 famili-

familiare vitæ commercium cum amicis, in condimentum conuictus, probauerim, in publicis tamen actibus, grauitas sermonis præstat.

XV. Si vitium loquacitatis peruincere studeas, statue, non quid prudenter loquaris, sed quamdiu per intervalla tacendum, (licet opportune dicenda videantur) & vinces; Alias opportuna dicere cum studes, ad importuna erumpes, recte ille ait, *Loqui me aliquando pœnituit, tacuisse nunquam.* In nonnullis tamen loquitur bonus candor & zelus, in nonnullis inquies genius, et dicacitas, dum in quascunque aures inciderint, vt confessorem intimorum judicemque sine discrimine personarum sibi statuunt, vnde produntur et irridentur.

XVI. Nonnulli dum esse sinceri nimis volunt, incauti fiunt, proditores verius sui quam in amicitia aperti, cúm dicenda, tacenda, pariter effutiunt per leuitatem.

XVII. Quisquis blando vultu dicentes audit, iisque comiter respondet, pariter agit, ac si humanos animos, in potestate sua, reserandis affectibus, dum vult, habeat. Quæ virtus inter potiores (civium) parandis hominum et Provincialium animis,

mis, censeri debet: si vero secus rugosa fronte, obiterque dicentem audias, respondeasve, licet in gratiam postea facturus, quid juvat? Etsi obtineat qui cupit, cum a nolente et moroso profectum habet animo, non vt datum, sed velut extortum, ac potius proiectum. Ut pluris sit, blandam negationem retulisse, quam morose obtinuisse concessum. Exinde usurpari vulgo dictum. *Et si non obtineat, habeat tamen velut acceptum, qui se amice audiri videt.* Tum illud: *Æger animus dum ad satietatem enarrauerit quod vult, æquiparatur obtento.* Vidit orbis, nunc et olim, viros Principes, alias magnis animi dotibus præditos, sine hujus virtutis condimento, parum valuisse, in vulgus, aut (quod pejus) in odium publicum incidisse. Exinde recte, de Toletano Albæ Duce, quidam obseruatum reliquit, vt propter suum triste & fastuosum [neque ideo ciuile aut sociabile] ingenium, ne ab iis quidem ameretur, quibus benefecerat.

XVIII. Vestitus propius magnificentiam sit, & auctoritatem, quam quæsitam ostentationem, aut luxum.

XIX. Geſtus gravis, non melancholicus, aut effuſe hilaris.

XX. Abſentia ſæpe auctoritatem tueare, *Continuus aſpectus, minus verendos homines, aſſidua ſatietate facit.*

XXI. Veriſſimum axioma. *In ignotis magis dilatari animum.* Exinde ſæpe æſtimamus magis longinqua, quam proximiora, audienda, quam audita: Tum videnda, quam viſa, habenda, quam habita, pollicita, quam data aut accepta, ſcienda quam ſcita: Et futura, quam præſentia. *Sic*, Majeſtati maior e longinquo reuerentia, et omne ignotum pro magnifico. *Sic*, Auctorum ignotorum opera, magnifice habentur, viſo auctore vileſcunt, magisque poſt funera inclareſcunt facta, & virtus noſtra et nomen: *Sic*, maior de abſentibus perſonis opinio, nam ſatagentius ab ignoto quæritur; aut imaginamur: *Quis ille*, quam vt dicatur ſemel in præſentia: *Hic eſt*, nec gradus amplius datur, quo vadat animus, cum viſum et ſcitum, plene ſub oculis habetur. *Sic* (per varia eundo) pericula caſtrorum, magis terrent longinquos domi, quam milites pro vallo ſtantes, et vulnerum ſpectatores. *Sic*, nova ſubſidia, medio

medio in prælio ex ignoto in hoſtem immiſſa, licet pauca, ſed quia ſub ſpecie ignotarum inſidiarum veniunt, plus terrent hoſtem, quam acies numeroſa, oculis ſubiecta. *Sic* puerorum minorennium aliquando delectamur plus ætate, quam adultorum. Hi enim actu monſtrant quales ſint, aut quales amplius eſſe non poſſint, circa illos, latius ſpes extenditur; Quales futuri ſint, immo ominamur (ſperando maiora ex ingenuitate) quales reuera futuri non ſint, *Sic* ruinas antiquarum ſtructurarum, miramur magis, quam forſan æſtimaremus ex integro ſtantes, nam integrum quod eſt, oculis totum ſubiacet, et limitat (aut circumſcribit) mentem, ne vltra procedat animus, tam imaginatio, quæ latius extenditur, quam ſenſus: De ruinatis et in integro non viſis, plus imaginamur, extendendo mentem per diverſa, quam forſan erat in rei veritate. *Sic* abſentium ambigui ſermones, ſunt magis læſivi, dum ſub latiorem interpretationem cadunt, in præſentia effati condonantur levitati verborum, ſeu ingenuitati dicti, tum circumſtantiis perſonarum, temporis, rerum, loci, iocorum, diſcurſuum,

occaſionis, quæ ſæpe minuunt offenſam, dum in præſentia, prout in ſe ſunt, capiuntur, neque delatorum malignitate torquentur, ſi præſertim illi exaggerando ſtudioſe, iram ſuccendere amant, cui rem deferunt. Sic vana licet ſpes ex licentia diteſcendi, et exſpectatio futurorum, tum incertorum pollicitatio, plures quandoque aſſeclas habet, quam certum bonum; quam merces et ſtipendia, vt veriſſime a quodam ſit obſervatum, et a me alibi dictum: *Gratius eſſe hominis animo aſcendere in parvis, quam perſiſtere in magno,* et per partes, quam per totum; tum illud, *Quæſita in pretio, vulgaria habitaque contemnuntur: In pluribus opinione laboratur.*

XXII. Non dictum, factumque repete, quo maior inſit ex raritate verbo reique auctoritas.

XXIII. Cum grauibus ambula, leuiculorum conuerſatione delectaberis quidem, ſed tandem deturpaberis.

XXIV. Non æſtimatos, juuenes, minorennes, temulentos item, verbo, multo magis conuerſatione, vitabis.

XXV. Quæ cum dedecore in præſentia dicuntur, aut fiunt, modeſte reprehende,

aut abi, ſubtracturus ab ea indignitate oculos et aurem, multo minus ipſe fac, ne velis placere aſſenſu, quod eſt prope leuitatem.

XXVI. Negotia [*quoad tute poteris*] per alios tenta, fac, impera, vide, cura; leuiorem jacturam rei credas, quam auctoritatis, immò admonebis corrigendos, non ipſe, ſed per alium, ſic vitabis præſentem exacerbationem, nec facies periculum tuæ præſentiæ, quæ niſi opinionem (quouſque ſit non vulgaris) ex raritate habet, grauioribus tantum negotiis reſeruanda, vt ſemper penes te reſtet, quo in maius, dum vis, rem vrgere poſſis. Non aſtum exinde, vt nonnulli Commentariorum inique interpretantur, ſed potiſſimum perſpicacitatem Tiberii [ap. Tacitum Annal. I.] obſeruare licet, qui exercitum in Germaniis tumultuantem, *tantum per filios adiri voluit, Maieſtate ſalua, cui maior e longinquo reuerentia, ſimul adoleſcentibus excuſatum, quædam ad Patrem reiicere: Reſiſtentibus Germanico aut Druſo, poſſe a ſe mitigari vel infringi. Quod aliud* (nota verba) *ſubſidium? Si præſentem Imperatorem ſpreuiſſent.*

XXVII. Nunquam effunde totam ſimul familiaritatem et amorem, vel effuſu-

rus, lente fac et pedetentim, potius intendatur amicitia, quam intenſa ſit. Habenda petitur, habita, vt vulgata, relinquitur, et ſatietate vileſcit. Errauit ille, de quo annotatum: *Milites ſuos commilitones, novo blandoque more appellans, dum affectat charior fieri, auctoritatem principis emolliuerat.* Sub initiis præſertim cauebitur, effuſiore officio aut fauore, tum gratia, ne aliquem proſequaris; ſed facies intra moderationis terminos: dum enim intenſi actus laſſantur, quæ agenda tractu temporis ſequuntur, vix iisdem principiis reſpondere poſſunt, pro iniuria vero reputatur, diminui, tum auferri, in cuius poſſeſſionem ſemel inuolauit animus.

XXVIII. Hinc ſequitur, ut non ſolum affectus *Amoris* (aut ſecus *Iræ*) ſed *prudentiam* ipſam per modica, nec affectate oſtentemus, dum æſtimari volumus; nam pro vana ingenii oſtentatione, dum per familiares diſcurſus, effundunt ſe totos aliqui, nimii commemorandis rebus, loquaces et affectati, quaſi nihil in poſterum *pro ſubſidio novæ obiectionis* relinquentes, dum opinionem prudentiæ, et exinde auctoritatem ſibi parare cupiunt, potius

tius

tius eam perdunt, ſimiles forenſibus licitatoribus, cum leuioris momenti res et crepundia ad nundinas ferunt, per obvia fora inſtitorias tabernas ponunt, alias non quærendi, niſi emptores quærerent ipſi, et eſſent inobuia. Jam vero, pretioſarum mercium venditores, ditiore lucro negotiantur, eo ipſo æſtimationem mercibus poſituri, dum ſine oſtentatione, ſatis habent ſciri de mercibus, et quæruntur ut vendant, non quærunt affectate emptores. Quidquid igitur æſtimatum haberi volumus, in affectu noſtro bono (aut ſecus contrario) ſeu in ratione agendi, lente, tum per modicas partes exerceamus, ne plene ſatiemus, ſemper aliquid in poteſtate noſtra in poſterum reſeruaturi, quo in maius [dum pro tempore volumus] a nobis res intendatur. *Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus: At ſapiens reſervat aliquid in poſterum* (Proverb. Salomon.) et Eccleſ. *In ore fatuorum cor illorum, & in corde ſapientum, os illorum.*

XXIX. Non vitupera amicum, non lauda, non reprehende, niſi in magnis, idque raro, moderate, & *in ſeceſſu*, vel (ſi tute poteris) per alium, *factum tamen, non perſonam* ventilaturus.

30.

XXX. Consilium nisi quod rectum scieris, idque tantum requisitus porrige? Verum dator consilii, naturam accipientis, (seu cui consulitur) induat, prout secundum possibilitatem, media, capacitatem, aptus est ille faciendo: secus, frustra fere consulas, dum iuxta te modo, non alterum, aut saltem non ex vtroque, agendum vocas.

XXXI. Non intercede aut pete pro alio, nisi re perpensa, an iusta sit, & obtentu possibilis, ne periculum auctoritatis subeas, si non obtineas, potius intercedere cauebis.

XXXII. Non litiga verbo, sed potius subride (etiamsi contrarium aliquis loquatur) non velis videri nimis sapiens: magni viri auctoritas, non in disputando, sed agendo consistit.

XXXIII. Tacere qui scit, scit esse prudens. Taciturnitas est magnæ prudentiæ mater. *Qui animo ignauus, procax ore;* quibus os ferreum inest, cor sæpe plumbeum habent. Verum nonnullis, taciturnitas & agendi secretum ex diffidentia, aliis est ex metu, vt cum ex diffidentia sui, verentur, ne per inanimaduertentiam aliquid prodant, totum silent, opportunaque trans-

transmittunt, similes Zeuxis imaginibus, qui ad ostentationem artis, imaginum pingebat vela, vt subintelligeretur velatum aliquid, dum nihil erat; sic illi obtendunt rebus inania arcana, nunquam directe, sed nisi circuitiue agentes, vel quia metuunt, vel quia inertiam impotentiamque agendi prodere verentur. Fossam saltu traiecturi, impetum saltus cursu intendunt: etiam animus agentis, zelo quandoque intendatur oportet, & apertior sit, pro confidentia sui, & pro ingenuitate, præstaturus ardua. Quid diffidit, metuit. Mollia, secretaque, cauta quidem sunt, sed quædam nisi feruidius tractentur, haud obtinentur, immo irritantur in peius, cum dolus. malignitas, vel etiam metus, occultis secretisque (immo circuitivis) subesse creditur, prout vere circuitiva ingenia, plus astutiæ, quam prudentiæ, vel cautionis habent.

XXXIV. Quæ imperfecte calles, non fac coram, immo perfecta fac, quæ non vulgaria & raro.

XXXV. Magna loquere, & a levi discursu studiose deflecte.

XXXVI. Facta secretus tene, facienda multo magis.

XXXVII.

XXXVII. Vitia quæ vitare non potes, latebris dica, omnia, quæ ſcis reprehendi, fac in privato, & *ſemotis ſaltem arbitris, turpis ſis.* Non ea tamen eſt infirmitas naturæ humanæ, quin vitare vitium non poſſis, dum velis, fruſtra naturam culpaturus, ipſe culpandus; Vitare igitur turpia debes, quo magis altiori honoris ſubſiſtis gradu, minoribus magis quodammodo turpes eſſe licet, ſecus in maiores honeſtosque, omnium oculi conuertuntur & ſuccenſent, vti facilius maculam noueris in puriore criſtallo, quam in olla.

XXXVIII. Rectius plerumque impertinentia demendo in noſtris moribus, in affectibus, & ratione agendi, quam addendo opportuna, paratur æſtimatio & habetur auctoritas: Velut hortulani, plus addunt horto decoris & amœnitatis, amputando ſentes, euellendo vrticas, purgando vias, diſponendo plantas per ordines, quam ſubſternendo fimum in fecunditatem, quam copioſe ſerendo: Exceſſu magis vitiorum homines laboramus, quam virtutum imperfectione. Prius quid non facere mali, quam quid facere boni, præceptis decalogi etiam docemur.

XXXIX.

XXXIX. Raucus aut balbus, rarius loquaris, vnde illuſionis materies.

XXXX. Cauſas dictorum factorumque non redde, ſed potius intelligantur.

XXXXI. Sperent a te homines, ac ſimul vereantur: æque ſeuerus, atque clemens videaris.

XXXXII. Nec præſume, nec te minoris æſtima, angulis & latebris ingerendo, ingere te (ſed modeſte tamen) primoribus. *Nemo contemnitur, niſi quis prius ſeipſum contempſerit*, quomodo credis alios te æſtimaturos, niſi te ipſum æſtimas, & in leuiuſcula abiicis, tibi magis proximus, quam alius tibi? Recte quidam ait: *Non eſt hoc ſuperbire, Maieſtatem Regni, & poteſtatem auctoritatemque publicam ſibi conceſſam, conſeruare velle inuiolatam, imo hoc eſt ſapere.* Verum perſpicacitate vtendum, ne ſuperbiam moroſitatemque, cum auctoritate confundamus, & quod eſt inciuilitatis parandæ auctoritati adhibeatur, ne alios pro vnica æſtimatione tui, immodeſtius aut ſcrupuloſius laborando, mille inimicos tibi ſuperbus pares, et eueniat, quod rebelli angelo, dum ſupernis bonis honoreque non contentus, vult inſuper eſſe

ſimilis

similis altissimo, totum suum quod habuit, predidit. Cauebis igitur *morosam grauitatem.* Hæc in priuatis; In publicis vero actibus, *consultum fuerit, vt qui debitos tibi honores denegat*, (præsertim si conscius sis necessariæ tibi grauitatis) *etiam vi & astu quodam, eos oportet præripere aliis, quam ea de re verbis contendere. Qui dubitat, merito ipse sibi diffidit: qui dissimulat, tacite fatetur suam indignitatem, & modestia postea pro ridiculo habetur; sed qui de facto, animo forti & constanti, tum bona cum grauitate* [tamen sine intempestiuo affectu] *primas præ aliis occupat, quæ sibi debentur, nec offeruntur tamen; facili deinde negotio eas seruat, & retinet in posterum.* Vt quondam Germanorum legatis contigit, qui cum ingressi theatrum Pompeji, legatos nationum, senatores inter sedere cernerent, inter eosdem senatores, sessum se audacter proripuerunt, subiungentes; *Nullos mortalium, armis pro Romanis, aut fide, ante Germanos esse*, quod comiter a senatu exceptum, vt ea legatorum ciuilis æmulatio, postea cederet in argumentum et possessionem loci.

XXXXIII.

XXXXIII. Nouarum rerum, aut inauditarum, immo nouorum rumorum, a domo, immo ab externo, certam notitiam quære, quod parit admirationem scitæ curiositatis.

XXXXIV. Modica castigatio exacerbat nonnunquam magis, quam corrigit, vt tutius sit, quandoque non punire, si seuerius corripere nolis. Non sine causa Salomon arguit intempestiuam clementiam, dum vocat *Misericordias* (aliquorum) *crudeles.* Bonis vere nocet, quisquis pepercit malis, sed hoc pro statu rei, et temporis: Scias tamen, quia *pœna nisi prohibet flagitium, laus vero & præmia prouocant virtutem, & accendunt animos.*

XXXXV. Nunquam totum simul effunde, et proinde exarma rigorem, sed velut maiorem in tempus dissimula (lentius corripiendo) quasi maius telum penes te restet, in terrorem exercendum, dum velis.

XXXXVI. Delinquentem aliquem (cujus correctio ad te pertinet) non te puniturum ai, antequam puniendum manu teneas, immo propius nescientem sis, ne præmonitus caueat, contraria (per desperationem veniæ) munimenta quæsiturus,

aut magnorum intercessiones prouocando, quibus sine offensa recusare non possis, aut capitalis hostis [præ metu] euadet, ad hostem transiturus.

XXXXVII. Ea pollicere, quibus præstando sufficias, ne postea difficile aut graue sit præstare, in maiorem offensam sperantis, potius non pollicere, sed fac, quod facturus sis.

XXXXVIII. Prudenter quidam, honorationem sui tacite inculcauit, cum subornato quodam lixa, compteque in eam scenam vestito, palam deiici jussit pileum, decentiam morum, et superioris obseruantiam exprobrando. Item Marschalcus ille Regius, adornatum lixam, scipione pulsauit, quod palatium Regis importune ingressus fuisset, non vocatus, quo inculcauit verecundiam, importunis intrusoribus, et quæ possint fieri in eam formam.

XXXXIX. Metuendorum nomen acquirere vtile aliquando: sed modo licito quærendum, per aliquam ostentationem virium et potentiæ, vt potius vereantur homines tuam auctoritatem et potentiam, non timeant, ne in odium incurras.

L.

L. Quæ populus affectat, tibi vero displicent, idem sentire te prius simula, et interdum lauda, post (facta quasi recollectione) deflecte, sed sine rigore; nam qui directe multitudini se opponit, frangitur aut vincitur ipse, quam vincit; (vel vt subtiliter quidam: *Qui realis solummodo est, aut nihil præstat, sed irritat tantum; hic excessiua virtute opus habet, tum potentia & auctoritate, qua vincat omnem inuidiam.*) In quo satius prudentes nautas imitari præstabit, qui aduersis ventis, non directam opponunt proram, velut contra vim reluctaturi, nec aduersam relinquunt puppem velut fugientes & ex inertia cessuri, sed per latera inclinando nauem, hac illacue sinuando vela & cursum, eludunt tempestatem, & simul assequuntur portum, quem volunt, ac proinde illudunt ventis; sic populi impetum, non aliter eludas, aut in rectum (prout in rem opus) reducas, quam per molliora, nec tamen molliter acturus, vel affectate, (quod æque periculosum) sed grauiter.

LI. Immo dicentibus modice assentiatis, licet aliter post hæc sensurus, lente in tuam sententiam quemque pertrahendo.

LII. Quæ in publicum neceſſaria, primo vero aſpectu ingrata populo, proponere vis, cura per alium proponi, & affectum primum populi in eum effundi: tum poſtea modeſta cum ratione, ſequere ipſe idemque petes, ſed ſine affectu, quaſi minus curaturus, etiamſi non fiat, naturale enim, vt magis negentur (velut magis æſtimata) quæ maxime petuntur, quæ minus curantur, vt vilia, facilius ex neglecto habeantur.

LIII. Illi plurimum potentia conſilii valent, multaque præſtant in ſuas partes, qui cum ſint potentia & auctoritate graues, per alios, non per ſe rem tentant & conſulunt, velut neſcii, & taciturni, ſed ex inſperato metuendi.

LIV. Cura vt humanus & ciuilis habearis.

LV. Si quis beneficium vel operam aliquam a te petat, & ſi ſcias plerasque in eo dari difficultates, non obiice illas, ne recuſare opem videaris, & te parum beneuolum petenti præſtes, potius in ipſius negotii curſu, eas difficultates, qui petit, deprehendat ipſe & ſuæ petitionis arguatur; offerentur enim cum tempore occaſiones,

quæ

quæ promiſſum infectum reddant, tu vero promptæ humanitatis titulum non amittes.

LVI. Prima conſtans cum auctoritate repulſa, adimit plerisque importunam in poſterum audaciam.

LVII. Obtento morbo, multa per abſentiam, aut parantur, aut vitantur.

LVIII. Patrocinando alienis illatis, plura in publico conſilio obtinentur, quam per ſe rem directe tentando, licet aliquem multa ratio cum auctoritate ſequatur, quidquid ideo optas fieri, alium auctorem inferendæ rei ex compoſito ſubſtitues, tum alter amicorum, atque tu ipſe patronum te pro auctoritate præſtabis, qui vero proprium allatum fortius vrgent, præſumptionis notantur, veluti conſilii ſui; quod ipſi adferunt amatores, neglectores alieni, quod eſt prope inuidiam. Jam vero ſecus, vt ab alio illata, tutius vrgere poteris, liberius ſuadendo. Bonos tamen auctoritate viros, proponendæ rei quæres, ne contemptu auctoris, bene licet illata, in contemptum trahantur, vt ne tu poſtea patrocinando, rem ſtabilire poſſis.

LIX. Quod alibi in obſeruationibus bellicis dictum: *Vtendum recenti terrore in*

 hoſtes,

hoſtes, hic item per familiaritatem verbi dici poteſt, *recentem terrorem etiam apud ſuosmet cives multum poſſe*, vt a prætextu impoſiti recentis metus (ſi dextre inſtando liciteque vtaris) pecuniarum collationes, tum operas in corrigendis peruetuſtis munitionibus, bonas item leges, facilius minoreque inuidia apud populum obtineas, quæ alias per alterationes, turbas, odia, immo vix quidem aſſequare, ſi abſit metus.

LX. Abſentia tui, meliorem ſuſcita & tueare amicitiam, immo & auctoritatem, literas tamen non intermitte & nuntios, pollicere tui præſentiam, trahe interim & pone moras. Luna ſolis amica, decus & lumen quod habet, illi debet, quo remotior tamen, plenius perfectiusque lucet, proximius admota, decreſcit, vel ſi plane concurrant, luna penitus amittat lucem, aut ſol neceſſe abeat in eclipſim; Sic vere amicorum magnorumque virorum mutui congreſſus, aut crebrius negotiorum commercium, maiore iactura amicitiæ, tum auctoritatis fiunt, quam vt nouum aliquod argumentum in maius ſtabiliendæ paretur: ſæpe vnus in altero non reperit in præſentia, quod ſibi abſens pollicebatur, vnde

vnde vere dictum: *minuit præſentia famam*, ſæpius, *abſentia prodeſt;* Miraris? legi, vidi, probaui.

LXI. Modica munuſcula offeres amico, non ſimul, ſed rarius ac potius minora prius, dein maiora, maxima nimis ſero, vt diutius dando ſufficias, partim vt ſemper reſtet, quod maius ſperet a te amicus, nec relinquat, quam ſuo damno. Vſu probatum axioma: *Gratius eſſe hominis animo, aſcendere in paruis, quam perſiſtere in magno.*

LXII. Maximum rigorem prius intende in ſpeciem, temperaturus poſt ea ad famam clementiæ.

LXIII. Experientia probatum, magis appeti eorum amicitiam, plusque ab hominibus æſtimari, qui neglectius eam ſeruant, modo amant, modo offendunt, offendendo & amando non aſſidui (non tamen leues) modo potentia terrent, modo comitate trahunt. Neque cauſam reperio, quam ab oppoſitorum ratione, quod magis elucescat, & ſapidior reddatur amicitia, quaſi tunc magis optanda, dum amittitur, aut ſecus euenit, vt eorum amicitia minus æſtimetur, qui de paranda aut reti-

retinenda ſtudioſe & appetenter nimis laborant, vt aliquando neceſſarium ſit, nonnihil ſuboffendere, tum modice negligere amicum, quo magis retinere vis (quam vt perpetuo adhæreas) ſed non diu aduerſa fronte & vultu, ne poſthabearis.

LXIV. Sæpe, quod preces non poſſunt, minæ (apte accommodatæ) operantur.

LXV. Non moliaris, niſi quæ præſtare potes, ne prodas impotentiam.

LXVI. Si aliquid aduerſi tibi accidat dic potius, ſponte te accepiſſe, quam vt ſupplantari nolens videaris, veluti inualidus, & obuiæ impetitioni expoſitus, potius fortunam tibi obedire doce.

LXVII. Alienanti ſe amico a te, aut clienti ſine cauſa, ſponte media offer reconciliandi, potius bonis quibusque modis, eum in amicitia retenturus (medium tamen inter grauitatem) quam vt acerbitatem pro acerbitate reddas, quæ magis abſtrahit, quam retinet in amicitia amicum, niſi alias potenter peruincas.

LXVIII. Minæ vigilantiam aduerſarii acuunt, ad cauendum, immo præueniendum, tu ſi taciturnus es, plura præſtabis, non

non tamen vt noceas, verum vt caueas tibi, quod eſt penes virtutem.

LXIX. Potius capiat per modica, aut ſenſim ſperet amicus, quam vt totum ſimul habeat. Non enim obligant, quæ data, licet maxima, ſed quæ dabuntur, licet modica. Animus hominis, imitatur oculorum ſitum, quos cum anteriori parti corporis ingeſſit natura, non ea quae poſt ſe ſunt, ſed quae ante poſita, vident; ſic ille penſat, non accepta, ſed accipienda.

LXX. Redditurus mutuum beneficium pro beneficio, moram adiice, ne dare videaris in recompenſam dati, ſed velut in obligationem futuri.

LXXI. Exprobranti offenſam amico non ſerio excuſa, excuſatio prope metum eſt, et loci inferioris ſignum, reſponde potius, neque illius eſſe exprobrare, neque tuum excuſare.

LXXII. Religioſos in pretio habe, quatenus tuarum partium ſint, deuincies vero illos beneficiis, et comitate.

LXXIII. Immo concionatores ad te trahe, qui bona narrent, et populo (quoduis vtile in publicum) perſuadeant, aut quod non vis, ſermone (ſed extra in-

 uidiam

uidiam et illius offensam) publice diluant.

LXXIV. Opinio diuitiarum et nummositatis, parit aestimationem, teges igitur tuos defectus, & arte aliqua honesta (sed procul ab ostentatione) omnibus imponens, vt bene de te credatur.

LXXV. Propositurus aliquid difficile populo, causas honestas propositionis, per privatos rumores prius disseminabis.

LXXVI. Quantum in amico dono daturus destinasti, praestat cum iis aliquando honeste comessando consumere, cui diutius sufficies; quod vero diutius durat, magis in oculos incurrit et obligat, adde, quia vnica commessatio, potest plures simul obligare, vnicum donum, hominem vnicum obligat, immo aliorum (accipere praesumentium) inuidiam prouocat.

LXXVII. Mirum dictu, quantum lautior mensa, et liberalior conuictus, paret amicorum, hocque per artes politicas, inter conciues crescendi, studium cuiadest, vt velut in alias virtutes incuriosi, hanc praecipue viri *Politici*, in quouis venerentur et ament, aut sine illius condimento, caeteras obiter transeant, immo vitia non-

nulla

nulla, hoc obtecta fuco, *dum mollius accipiuntur*, sponte dissimulent. Sic igitur intra magnanimitatem erogare, lucrum facere est, immo nonnunquam conducibilius, vltra parsimoniae terminos in eo procedere, ad vsque confinia effusionis, modo ne sit factum, intra affectatam prodigalitatem, cum decoctione bonorum extrema: velut multos apud nos vidimus, sic creuisse, floruisse, et intra ciuium fauores praestitisse, vt opimam amicorum et fortunae, colligerent messem, cum haud parce ciuium animis, seminarent sua. Certissimum enim magnitudinis signum est, maximeque incurrit in oculos vulgi, tum in affectus, vel et posse pascere multos, eoque multis bene velle. Nec mirum, si Christum, vulgi sequens turba, in Regem creandum rapere voluit, (*Johannis 6. cap.*) cum tot hominum millia, ex suo diuino penu, non pauisset modo prompte ad saturitatem, sed fragmentorum copia, magnitudinem conuiuii et Domini pascentis diuitias loqueretur. Sed intra dicti reuerentiam sacra maneant, profana liberius nobis loqui licet. Non ab alia occasione, primitiui Poloni, Piastum olim e

plebeia

plebeia domo, ad purpuram euocauerant, quam cum diuinum quiddam, illa ætas inesse viro crederet, cui pro modico agello quem colebat, ad stuporem vsque Comitiorum (neque enim sine speciali miraculo, teste historia factum) tantum alimentorum, ad vsque superfluitatem, humaniter excipiendis aduenis sufficeret, vt plus erogando, plus semper illi restaret, et simul, magnitudinem cultioris animi, in eo viro cum metirentur, qui sic esse cuperet cunctis amicus et hospitalis.

LXXVIII. Astutis, arte simili aliorum astus eludere, mos est; ideoque secum in amicitia facile conueniunt, dum retaliare sciunt: rectiores nesciunt, nisi plerumque deserendo conuictum, et rem cum illis plane vitando, donec in meliores amicos incurrant. Vulpi cum vulpe, vrso vni cum altero, aspidi cum aspide, haud mirum si conueniat, cervis equisve, nisi cum mitioribus, aut sibi similibus viuere secutum est.

LXXIX. Dum sunt nonnulli fucatæ faciei liberalioris conuictus, *præsertim si habeant aliquas species virtutibus similes*, ipsi subdoli, et modis illecebrarum potentes (vel

vel quorum vultus est opportune mendax, tum in speciem probitatis sermo (et facilis, haud spernendus capiendis hominibus hamus) facile eo condimento trahunt plerosque in sui laudem, tum in amicitiam. Non tamen altioris mentis homines, verum illos ex simplicioribus, qui velut minutiores aues, facile capiuntur visco: Recti vero et prudentes viri, non illa exteriora morum, et fallaciarum inania, sed intimum introspiciunt pectus, et nisi solidiorem virtutem, tum amicitiam pensant: Quanquam conuictus liberalioris amœnitas, si penes rectam virtutem & prudentiam, alicui pectori insedit, miros effectus, parandis amoribus hominum, totumque in animos potest.

LXXX. Videntur esse nonnulli amicabiles, recti, prudentes, dextrique agendo, et plane cum virtute, magis, quam sunt; immo nonnulli non videntur esse, cum vere sint, nisi tempus et occasio aperit virum, vt prima iudicia de hominibus sæpe nos fallant, velut de ingenio nationum subtiliter quidam: *Hispanos factis & moribus magis videri intolerabiles, quam vere sunt; Gallos magis esse forte, quam videretur.* Sed inest

ineſt cauſa, circa horum amœnitatem, illorumque triſtitiam (vel grauitatem actionis et morum) prout huius aut illius, ſumus æqui penſatores. Niſi igitur falli vis, ſuſtine ſuadeam calculum, ſeu damnaturus, ſeu probaturus, et a tempore tum actione, iudicium expenſa. NERO *flagitiis & ſceleribus velamenta quæſiuit.* GALBA, *major priuato viſus, dum priuatus fuit, & omnium conſenſu capax imperii, niſi imperaſſet.* (Tacitus ſparſim:) VESPASIANUS, *ſolus omnium ante ſe Principum, in melius mutatus eſt.* OTHO, *contra ſpem omnium, non deliciis, neque deſidia torpeſcere, dilatæ voluptates, diſſimulata luxuria, & cuncta ad decorem imperii compoſita, eoque plus formidinis afferebant falſæ virtutes, & vitia reditura.* Mucianus *luxuria, induſtria, comitate, arrogantia, malis bonisque artibus mixtus, nimiæ voluptates, cum vacaret; quoties expedierat, magnæ virtutes: palam laudares, ſecreta male audiebant, apud proximos, apud collegas, variis illecebris potens.* In Vitellio: *Multa grata ſane & popularia, ſi a virtutibus proficiſcerentur*, et argute idem de Pompeio: *Pompejus occultior, non melior.* Hæc alii, ſed addam ex meo, et

et ab experientia. Plerique ſunt boni, donec, qui corrumpat, non adeſt, immo ineſt ſemper aliquibus male faciendi animus, ſed deeſt occaſio; boni ſunt, dum malos eſſe non licet, aut præpediuntur. Recte Salluſtius de quodam: *Ore probo, animo inuerecundo*, Et Velleius: M. *Lepidus, forma, quam mente, melior.*

LXXXI Mirari debui dictum (verum ſatisfactum mihi ab experientia) quod argutia Italica nuper prouerbio circumtulit: *requiri ad gradum proſperioris fortunæ, vt inſit alicui nonnihil ex fatuo & Intruſo*: Nam hoc modo, cito inuolatur in notitiam, et confidentiam intimiorem *Aulæ*, tum *Vulgi*. Non promerentur hi quidem virtute, ſed arte ſuffurantur gratiam, ad modum naturamque omnium et ſeculi, facilius ſe componentes. In impertinentia ſe ingerunt non vocati, ludicra, ſeria, pari importunitate tentant, et quandoque ſuccedit, vt pro tempore non diſpliceant. Non offendunt alios nec etiam acerbioribus ipſi offenduntur. Verum intra iocum et amicitiæ libertatem, facile habent et condonant totum. Alloquio faciles, reſpondendo (per mixturam leuium mendaciorum) amœni,

amœni, prompte indomeſticantur, non multo apparatu recipiuntur, neque ſunt *moroſi in ceremoniis*, & *formulis*, haud quæſitum ſui cultum requirentes, dumque non facile ſuccenſent personis et rebus (obuiis parabilibusque per omnia contenti) cenſura eorum non timetur, ex impoſita confidentia, et ex eo amantur. * Adde, ſi forte ſuper hæc, ſint *audaculi*, multum honoris et præmiorum ſibi arrogant, et obtinent per importunitatem(dum facile obloquia ſubdolis ſuccedunt ex impudentia) et occaſionibus *inſtanter* non *deſunt intruſi*. Directa vero virtus agit totum cum modeſtia, intra verecundiam, et dum importuna cauet, opportuna quandoque intermittit; ſed hoc non ex virtute vitium, verum ſeculi, et eorum eſt, inter quos viuitur, dum rectam non prompte noſcuut, nec acceptant. Tamen illa ſolidior eſt agendo, tandemque poſt tempus cognita, plus æſtimatur. Illi priores, ſæpius, (vti leuiuſculi) ludibrio habentur, et in ſeriis minus ponderis habent; menſarum niſi ſodales

* Genus duplex intruſorum: *ſervile vel audaculorum*: prioris generis ſunt *aliis*, hi *ſibi* vtique meliores.

ſodales, ludicrorum alumni, non noſtri, ſed fortunæ tantum amici, prout certe cum hac mutantur, nosque decipiunt, ad alios tranſituri, vnde plus vtilitatis ſperatur.

LXXXII. Aliud eſt: *eſſe innocentem*, aliud *habere praxin euadendi*. Aliud eſt: *ſcire imponere*, aliud: *iuſtam habere cauſam*. Aliud eſt: *eſſe fortem*, *prudentem vel bonum*, aliud *videri*.

LXXXIII. Diuinæ poteſtatis & prudentiæ (non hominis) opus: æquilibrium rerum tenere, cauſas combinare aduerſas, tum ex contrariis elicere bonum. Fruſtra ingenium hominis laboret, aut perſpicacia contendat, ad certam regulam ſe componere, & publici ſtatus vel priuatæ actionis, ea in parte formare ſibi *maximas*, niſi confundi velit, ſeipſam (ſerius citiusue) periculo inuolutura; immo illud eſt meticuloſi tam verſuti, quam perſpicacis animi ſignum. Exinde vere dictum: *Media via nec amicos parat, nec inimicos tollit.* Qui oppoſitarum partium, huius illiusque ſimul amicitiam quærit, aut vtriusque ſimul offenſas (*per obliqua*) vitat, poterit aliquanto tempore ſcenæ ſeruire;

 detecta

detecta deinde larua, vt fallax hypocrita & versipellis deceptor, ab vtroque odio habebitur. Sic intuitu emergentis boni, qui oppositas sibi (personarum aut populorum) potentias, dein amicitias, & offensas, æqua lance conseruare studet, ne inter se committantur, tum, ne vna noceat alteri, aut secus, ne sit infra alterum, ad æquilibrium moderamenque causarum: nequaquam sufficiet diu, quin altera inualescat, partem oppositam, & simul fautorem consilii, oppressura. *Sic*, vereri aliquem suboffendere, non tamen quæ sunt parandæ amicitiæ penitus facere sed potius per obliqua tacito irritare; aut secus tentare in rem suam assequi, quod est alterius partis cum dispendio & offensa simulque se amicum profiteri velle, odium verius conciliat, quam intentum parat, nisi aut rem habendam plane, aut (fortius pro æquitate vrgendo) gratiam partis posthabeas, alias neutrum assequeris. *Sic*, diffidere alicui, & simul (intuitu speciosæ cuiusdam amicitiæ, tum securitatis) non sibi satis cauendo prouidere; immo amicitiæ titulum affectate quærere; ac deinceps dissimulanter agere, nec amicitiam habebis, nec res tuas

as

as statues in securo. *Sic*, publico bono tuendo, & simul priuatis commodis aucupandis allaboraturus, alterum non obtinebis plane, publicum vero bonum certo certius subuertes. *Sic*, veritati (tum virtuti) aut auræ populari; Legi (tum justitiæ) aut populo; Principi, aut vulgo; Debitæ actioni, aut (parte ex altera) parandæ opinioni nequaquam sufficies, nisi totus in alteram (tamen æquiorem partem) agendo incumbas, sequiorem studiose oppugnaturus, aut si res suaserit (*rebus modo tuis, alia ratione diligentissime vt provisum sit*) posthabiturus saltem; vulgo dum places, rem agendam pessumdas, dum secus ad rem probe agendam te componis, vulgi censuram mereberis; vnde vetus (præsertim in bellicis) monitum tulit. *Malo te sapiens hostis metuat, quam stulti ciues laudent.* *Sic* (nisi alias tanta potentia vales, vt parte vtraque posthabita, negatiue te erga vtrasque habere possis, per quieta media securus) tibi neutralitas fœderum non proderit, verum alteri parti *deliberatissime* adhærendum. *Sic*: Artibus status totum se dare, & conscientiæ legem non transgredi, DEO placere & simul ad

 illecebras

illecebras mundi ſe velle componere, nec huius, nec illius legis, æquus aſſertor futurus, ſcripturæ potius cenſuram merearé: *Neque frigidus, neque calidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Non quod præſtet, aut mere bonum, aut debere eſſe mere malum (velut oblique Politiæ Doctor Machiauellus docet) verum quod grauior malitia ab affectata intra virtutem & nequitiam neutralitate, tum miſtis (boni ſimul aut mali) actibus oriatur, immo affectatior (ſub pallio virtutis) nequitia ſubſit, & aliorum vexatio, quam ſi vtique, ſimpliciter malus ſis; vt per omnia rectioris prudentiæ ſit, & conſcientiæ, ab vtrisque partibus verſandis, ſe totum ſeparare, aut in vnicam æquiorem tamen ſe totum transferre & agendo inſtandoue (ex norma virtutis tum prudentiæ) fortiter incumbere, res vero ſuas (interim) conſilio & prudentia ſtabilire, in quieto. Qui alias partium rerumque oppoſitarum ſimul fautor, commoda vtrinque venatur, rerum præuaricator potius, & interuerſor pacis, immo *Sophiſtico-Politicus*, quam *Catholico Politicus*, vocandus, ſeipſum aſtu inuoluturus, quo exercere ſtuduit alios; velut

lut multa eius rei exempla apud Hiſtoricos habeas.

LXXXIV Debitum officii, præſertim vero *honoris*, erga pares, adeoque magis erga ſuperiores, ſtudioſe adiuq plebis, nec transmittes neglectim: Etſi enim aliquando præſtari ſibi nolint (velut incuriam ſimulantes) aut verecunde palam recuſent, non ſit, vt plane habere non optent, immo ſic potius, promptitudinem tacito experiuntur, in offenſam alias tracturi, ni obtineant: Aut ſi exſequaris (modo non fiat affectate, ſed pro honoris debito) tanto obligatiores, in poſterum habebis. Cape; exequere; non improbata dico.

LXXXV. In *aduerſis*, ne ſis nimium mollis verbo, aut animo deiectus; Nec ſecus (in ſpeciem generoſitatis, & infracti animi) iocabundus neglector, tranſitorie deſpiciens, quæ famæ, tum ſecuritati parandæ ſeruiunt, aut momentis inualeſcunt, vti enim hoc leuitatis aut ſupinæ incuriæ, tum parui iudicii, ſic illud puſillanimitatis, abiectæ mentis, aut ignauiæ, ſignum eſt, immo, proſtituti in probrum animi, certum iudicium; potius agas totum, intra perſpicaciam, cautus, prudens

& grauiter: Qui conſiderat, prouidet; qui negligit,ſæpius rem perdit; nihil agenti, neutiquam, *aſſa*, (vt aiunt) *columba* venit.

LXXXVI. Senum actio, aut iuuenum conatus longe differunt; Iuuenes garriunt aut clamitant, ſenes agunt; Sonum illi, pondus hi, rerum captant. Iunioribus pro calore ætatis, properantia placet, & audax magnanimumque videtur, quod ſæpe temerarium, præuidentia ſenioribus & cautio maturior ineſt: vnde ſæpius ſunt cunctatores, rarius periclitantur, aut euentu falluntur, in occaſiones modo ex tacito intenti, velut ſomnum & inertiam ſimulantes. Iuuenes iracundi, in offenſas properi; viri maturiores diſſimulatiui ac ſæpius pacati, aut ſi tandem actio requiratur, intra prudentiam, & cum cura fortes. Illi res mirantur, multa vident, aliqua ſciunt, nec tamen probe diſcernunt, hi facta aut facienda æque penetrant, noſcunt & dignoſcunt. Iuuenes pro ingenuitate primæ ætatis, dolum rebus ſubeſſe minime ſuſpicantur, vnde facile deceptationibus expoſiti pro nimia ſecuritate, maturiores, viri, quia plura per aduerſa ſæpius dece-

pti, euentuum gnari, pigmenta rerum & rationum ſpernunt, ſuperficialia omittunt, verum larva detecta, introrsus res ipſaque fundamenta inſpiciunt & ſcrutantur, peritos venatores imitantes, vulpesne? aut lepus? tum ferox aper, vel certe nobilior ceruus impreſſerit greſſum, per ipſa veſtigia ſpecies ferarum noſcitando. Inſtant igitur, prout res & occaſio ſuadet, aut ſecus, paſſibus ſuſpenſis in res vadunt. Non *temere aduerſa caſuum reputat, quem forma nonnunquam decepit*, ait quidam; ſed rectus alter: *Mihi fortuna multis rebus ereptis, vſum dedit bene ſuadendi.* Iuuenes deinde ſuauiloquio plerumque laborant, & talia libenter audiunt in cætera incurii diſcurſibus per inania rerum vagantur, quæſtiunculis laſciuiunt & ludunt; nam ſæpius ex imperfecta ſcientia, de rebus dubitant, proinde vexant res magis, quam agunt, incipiunt, dein deſerunt; ſenes perſeuerant conſtanter, dum a fine res capiunt, nec ideo tentant fruſtra, minime ex voto finienda, ſed deliberate aggrediuntur; quia vero non hærent in mediis (verum ſcopum rerum petunt expediti) ſuper obiecta breuiloquio decernentes, hinc iuue-

nes ſuccenſere amant ſenioribus, velut rudi minerua negotium agentibus, dum pro ſuo ingeniolo, & pro curioſitate eos metiuntur, pigmentis ipſi rerum & verborum aſſuefacti; ineſt tamen ſenibus conſummatior peritia; licet tentent aliquando ſimplicia & proximiora in medelam, ſed quia præſtare magis credunt, quam longe quæſita. Addo breuibus, tuta, aut ſecus periculoſa, ante tempus ſeniores præuident, & ex vero indigitant, ſi præſertim ipſi pro paranda peritia non otioſam, verum per negotia exercitam ducunt vitam, grauiumque Hiſtoricorum lectioni dum immorantur, quæ ſuppleant ætatem. Iuuenes ſuper hæc reguntur affectibus, ac præſertim reſpectibus primo creſcentis fortunæ ducuntur, ſenes potentius ſuis affectibus & appetitui dominantur, ideoque commode alios regunt. Dicam verbo, iuuenum actionem eſſe amœnam, & quodam cum condimento vernalibus diebus ſimilem, maturi viri, laborioſæ (ſed cum fructu) æſtati aſſimulantur, magis enim ſerium, grauem (ac proinde triſtiorem) modum actionis habent, ſeueriores ſunt, verum in virtute conſtantiores, iuuenes agendo molles

les, & ſæpius leues. Hinc viris maturioribus expeditius res ſuccedunt, dum non tenentur a negotiis, nec hærent, ſed tenent illa, & regunt ipſi pro arbitrio. Velut peritos Automatarios (horologiorum id eſt fabros) ſi videas, non ſatis mireris, craſſa & fuliginoſa manu, nec certe delicatiore palpatu, ſubtiliſſimas horologiorum rotulas, audacter eos verſare, per minutas partes diſtrahere, dein velut nulla artificii cura & attentione, prompta manu in priſtinam formam redigere, quæ omnia ignarus artis delicatiſſimo licet contactu, diſturbet verius, quam vt recte expediat, aut ſi forte aliquis, crebro intuitu, ex arte ſe percepiſſe aliquid putat, vt etiam laborantem arguere non dubitet, dum tamen rem tetigerit ipſe, nec prima, nec media ſcit, multoque minus poſtrema, promptius eſt aliena redarguere (vel ſugillare potius) quam ſua probe facere. Iuuenum conſilia modusque agendi, vinis recentibus ſimiles, quæ plus dulcoris, plus etiam fecis habent, palatui grata, ſtomacho & ſanitati nociva, aut licet quoquo modo clareſcant, minus tamen ex virtute habent, quam per annos defecata;

quod ſequens dies, iuniorem erudiat, viri maturiores hodie iam ſciunt. Ideoque commode rem claudo, recta cuiusdam (in iuuenem proterue loquaculum rebusque obſtrepentem) indignatione. Poſt annum, fore ſi te prudentiorem putas; cur non me itidem cautiorem credis, qui tot annis multisque caſibus te ſupero. Cum omnia honeſtarum artium iuuenes habuerint, rerum experientiam (prout euenit unt) nondum habent, eoque ſenibus inferiores ſunt, affectata ludicraue illis placent, maturis res tantum, & ſeria.



Pars

Pars Secunda.

POLITICO-MORALIVM

I.

EXprobraturus aliquid publice priuatimue, amico aut populo, potius terreas & trahas exprobrationem, vt interea obtineas quod vis; diſſimulata enim timentur, euulgata, *vt iam transacta*, contemnuntur.

II. Retenturus alicuius amicitiam non ſtatim dum iniuriam accipis, exprobrabis illam, ne leui occaſione alienes amicum. Omnino tibi diffidet ille, qui te offenſum videbit, vt neceſſario auerti debeat metu, vel conſcientia facti, vel conſilio, dum te facilem videt in offenſam.

III. Beneficium aut officium, aut penſiones etſi plures in annos alicui prorogare in animo habeas, aſſignabis tantum annuas, vt ſi neceſſitas ſuaſerit ſine offenſa auferre poſſis, dum velis, partim ſi prorogaueris, velut iterato beneficio, accipientem deuincias prorogatione.

IV.

IV. Ignei homines ingenii, tum leuiculos; licet per alia tibi opportunos, caue, ne tibi adhærere velis, ſeu ſint amici ſeu clientes, immo dum aduertis, feſtinanter honeſto prætextu eos procul amouebis; niſi enim mature feceris, amoueri poſtea non poterunt, niſi magno tui faſtidio, vt ſæpius difficili negotio implicari debeas, amouendo. Rem ipſam in meis caſibus expertus, ſcribo.

V. Etiam illa ingenia clientum, multi periculi, & officiunt nobis, quæ ſunt prope importunitatem, audacule ſeſe intrudendo, ſuadendo, petendo, accuſando, hos aut illos laudando, curioſe abdita rimando, tum rebus imponendo, præſertim dum ſciunt, & amant per dicacitatem, ingerere ſuauia, cum vero ſuauiter loquuntur, & ſpecioſis quæſtiunculis, ſenſim tentant; facile nobis (ſine ſenſu) nolentibus imponunt; quorum mox nos pœniteat, vt non aliter eam peſtem loquendi, aut hominem vites, quam non audiendo, aut te plane auertendo, vel quod præſtat, procul relegando loquacem. Non alias magis CHRISTUS indigne tulit, Petrum corripiendo, quam dum in impor-

tuna

tuna (per ſpeciem confidentiæ (curioſe ſe ingereret: *Hic autem quid?* Tulit enim prompte reſponſum indignationis, & correctionem. *Quid ad te? tu me ſequere, ſi eum volo manere, quid ad te? &c.*

VI. Cum vnus aut plures ſtudium aliqua in re obligant, aut amicitiam offerunt, vel aliquid præſtare faciles, quod in rem ſit, vtere *recenti* promittentis affectu, vrge intentum, non differendo in tempus, fruſtraneum ea in parte dilationis (ſeu, vt vulgus ait, *diſcretionis*) nomen, certo certius per momenta tempeſcere hominum affectus, & remitti potius, quam intendi, vt ſæpe (vitio mobilitatis humanæ) alii in horas ſimus, poſthac difficilius optatum habituri, quod ante ſponte oblatum vidimus. Aſt promittit ille (inquies) propenſum ſe fore in tuas partes? falleris; præſentis ea vis eſt affectus, non futuri, qui bono caſu (vt brevi abiturus) oblatus, qualis vero ille futurum poſtea, ipſe qui obligat, ignorat; mutato vero affectu, mutabitur intentum, fruſtraberis igitur, quod obtinere ſperaſti, niſi extra dilationes aſſequi rem coneris. Nonnullis immo, bene & amica loqui,

ſæpius

ſæpius conſuetudo, aut potius modus loquendi eſt, non modus affectus, & quo effuſiores ſunt ſuauiloquio, eo magis in amicitia fallunt. Cautus ideo ſis, penſandis veris amicis, & ab opere potius, non a verbo ponderabis, eo citius præteruolaturis, quo promptius extra deliberationem efferuntur, quaſi nullas radices ab intimo amico & affectu petant duratura; verum in ſuperficie modo linguæ, cum ſaliua abitura & nata.

VII. Non amici ſolum affectus, ſed contrarii, in recenti maximam vim habent. Falluntur exinde, qui ſpreta prima reconciliatione, ſubmiſſiorem ſperant alteram, quæ potius tanto minor futura, quo magis procraſtinabitur. Vt enim omnes res, recenti ſenſu, grauius intenduntur, ſic qui intulit iniuriam, nouitate delicti, vel a conſcientia recentis facti propius pœnitentem eſt, quam ſi euulgato pudore, & conſumpta ignominia depudere didicerit, cum ipſum vulgus (per familiaritatem rumoris) primo rem minus mirari, dein acerbius loqui, poſtremo dedignari factum deſinit. Sæpe ideo pœnituit multos, non admiſiſſe primam reconciliationem, vt nullam

iam poſtea haberent, cum maximam ſperarent, præoccupabis vero prudenter, modeſta facilitate, neque reiicies pœnitentem, ſimilior tamen renuenti, ne pecces facilitate.

VIII. Rarius vtaris eodem curru, ſtrato, cubiculo, menſa, domo, exercitio. *Nimia familiaritas parit contemptum. Continuus aſpectus minus verendos homines aſſidua ſatietate ſatit.*

IX. Res adhuc in quæſtione. *Vtrum amari præſtat, an metui.* Dicant quod volunt alii, mea ſententia, vti DEUM, ſic hominem non recte amet, niſi metuat ſimul, aut ſaltem niſi reuereatur. Non igitur ſeruiliter te demittes & effundes in officia amici, neque nimius eris affectator, aucupandis amoribus alicuius, quod penes contemptum eſt, ſed ages grauiter, partim, vt quæras amicitiam, partim vt tua quæratur. Honorabis, ſed vt honoreris, immo aliquando (idque intra grauitatem & extra affectum) amicum modice negliges. Timeat negligi, ſi ipſe te negligat, & non amari, nec honorari, niſi ipſe ſtudioſe te amet & honoret. Qui te igitur non reueretur, nec recto, ne durabili amore, dum facit magis pro diſcretione & volun-

voluntate ſua, quam pro merito tuo. Addo (preſſius loquendo) quod amari, eſt in aliena poteſtate (*prout noſtri actus cum bona gratia & affectu ab aliis acceptantur*) vt vero metuamur, eſſe in poteſtate noſtra, non vt ſemper, quando volumus, amemur, ſemper vero metuamur, dum volumus præſertim ſi incurratur in homines, vt cum ad normam virtutis, legisque præſcriptum, omnia fecerimus, aut rem non intelligunt, aut pro malignitate ſecus interpretantur, cum in tanta deprauati ſeculi malitia, clementiam rectoris, delinquentium inſolentia ſuperat, vt neceſſaria correctione in aliquos opus ſit, tunc iuſtitiam, ſæuitiam vocabunt, nosque (pro ſua malitia non merito noſtro) oderint, cum ne Diuina quidem, licet proba ſemper & optima, malitioſi hominum probent, aliquando pluere, grandinare, æſtuare, non ad ſuum beneplacitum, ſed ex arbitrio cœli factum, illubenter ferunt, cum illud in terræ fœcunditatem pro gratia, aliud in pœnam, pro iuſtitia, immittat DEus, nec vnquam argui poſſit. Ac proinde præſtat inhærere cauſæ, quæ a nobis dependet, quam quæ ab alterius venit

diſcre-

diſcretione. Non tamen metus absque amore ſecurus, immo obſit omnino, niſi metus ille valeat, qui ab æſtimatione noſtri prouenit, ſponte in animis hominum, per actus honeſtos & graues, adhibita *prudentia & comitate*, non vero (vt nonnulli falſo arbitrantur) a potentia nocendi. Dicam amplius, metus niſi erga ſuperiores eſt (quos aliquacunque re præualere nobis arbitramur) amor non poteſt eſſe niſi erga inferiores, aut ſaltem erga pares. Si vero ſuperiores a nobis amentur, potius *Cultum* aut *Reverentiam* dicas, quam abſolute *Amorem*. Quod vero aliquorum belli Ducum virorumque egregiorum, exceſſiua ſeueritas Manlii, Corbulonis olim, & inter recentiores Ducis Albani, Comitis Fuentii, aliorumque, inter recti exempla ſit, impoſſibile, ſi hæc ſola trux auſteraque, ſine aliarum humaniorum virtutum condimento ineſſet, tantum auctoritatis in ſuos paratum fuiſſe, vt neceſſe, penes exceſſiuam ſeueritatem, excellentes quoque virtutes, pro conteſtatione magnitudinis exercuerint. *Sæpe latet vitium proximitate boni*, immo altioris virtutis interuentu penſatur. Erant in multos ſe-

D ueri,

veri, ſed in bene meritos liberales, labores caſtrorum imperando immoderati, ſed nec ſibi ipſis parcentes, fortes ſimul & ſucceſſu, in admirationem felices, iuſſorum exactores auſteri, verum erga promptos & obedientes grati, & pro comitate imperatoria nimium accepti, deinde erga afflictos, egenos, iniuriatos, inferiores opem poſcentes victosque, prompti, liberales, iuſti, minime auari, magnanimi, moderati, licet alias contra tumidos & inſolentes, inſurgendo graues, demum nec bellando flagitioſi, nec vincendo inſolentes. Si vero illi non aliud ſciuiſſent, quam flagra, ſecures, cruces, funera loqui, nec apud ſuos ex auctoritate obedientiam, amoremque, nec in exteros admirationem factorum, virtutisque ſuæ parauisſent, ſed velut feræ ſylueſtres, niſi nocere ſcientes, terrori fuiſſent & odio. Aliqui præterea pro indulgentia naturæ, ita ſunt formati, vt non in animo tantum, quidquam magnum illis, impreſſerit, ſed per exteriora quoque occultam grauitatem in facie aſpectu, alloquio, corporisque forma diffudit, quæ ſola primo intuitu æſtimationem pariant, & velut præcurſores ſint in animos hominum, & in affectus, parandis

amo-

amoribus, ac præſertim conciliandæ auctoritati, antequam altior virtus ſe exerat & innoteſcat, prout de Corbulone obſeruatum tulit Hiſtoricus. *Corbulo omnium ora in ſe verterat, corpore ingens, verbis magnificus, & ſuper experientiam ſapientiamque, etiam ſpecie inanium validus.*

X. Interdum parum neglige compellando dicto, ſcriptoue, timeat amicus aliquando negligi, & poſſe offendi, ſed ſtatim familiariter recipe, ne diutius neglectus aſſueſcat ſine te, vt vero aurum purius poſt ignem, ſic motu melior fit amicitia, vina etiam meliora, quæ penes dulcorem, ſunt modice acria.

XI Dum fruſtra niteris impedire æmulum, malis eum iuuare, & operam vltro offerre, vt potius opinionem amicitiæ obtineas, quam vt fruſtra impediſſe illudaris, quo impotentia tua prodatur.

XII. Cum alicui potenti æmulo reſiſtere non potes, potius quæres amicitiam (procul tamen a ſuſpicione quærentis) cuius ſub titulo, facilius rebus obuiam ibis, & illi reſiſtes. Quoadusque enim inimicus eſt, contrauenire aperte ſtudet, dum vero ſpeciem amici induet, lædendæ

amicitiæ

amicitiæ verecundia tenebitur, ne tuis intentis contrarius ſit, tu vero interim, quod in rem habere voluiſti, ſenſim aliud agendo perficias, ſemota omni fraude amicitiæ & dolo.

XIII. Omnia capere valenti, totum dat, qui parum negat; potius ſponte offer, quæ extra offenſam negare non potes, vt quoquo modo gratiæ tuæ debeantur, quam vt inuitus dare neceſſe habeas, nullo expenſi in rem tuam commodo.

XIV. Diſtrahe potentes a latere æmuli, immo eius intimos, domeſticos familiares, conſanguineos, parando tibi munificentia, menſa, comitate, vnde tibi omnia æmuli nota.

XV. Da bona verba, palam, & in abſentia.

XVI. Neſcientiam ſimula rei, quo magis omnia ſcis.

XVII Vide, non videndo, omnia.

XVIII. Non aſperneris conuictum æmuli, ſed tamen rarius congredere.

XIX. Minora quandoque conſilia communicabis.

XX. Nunquam verbo carpe præſentem, immo tueare famam, ſi opprimatur.

XXI.

XXI. Etiam offenſus, offenſam diſſimula & velut non agnoſce. *Vnicum remedium iniuriarum, ſi non intelligantur*, qui ſecus interpretando iniuriam extendit, velut ſcalpendo ſuum vlcus, per impatientiam, ſponte dolorem auget.

XXII. Nunquam exprobra ſuſpectam amicitiam.

XXIII. Rarius congredere cum æmulis, aut congreſſurus cum omni apparatu grauitatem indue & cum caterua clientum.

XXIV. Vita conſanguineos & clientes æmuli, etiamſi fidam operam polliceantur, fac tamen, quaſi non vitando.

XXV. Patiaris aduerſarium, non agnoſce, & velut loco amici habe, omnibus beneuolentiæ ſignis præoccupando, & inſidias muneribus anteuertendo.

XXVI. Maximum præſidium rerum humanarum ex diſſimulatione. Tiberius inter omnes ſuas virtutes *Diſſimulationem* adamauerat, tu etiam quoad potes, ſtude diſſimulationi, ſi ſapis. *Qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare.* Ludouici XI. Regis Galliæ dictum ad filium Carolum VIII. teſtamenti loco. *Diſſimula* igitur *Diſſimula.*

 XXVII.

XXVII. Temerarie ambitiosus, turbandis, *stultus pertinax*, perdendis rebus accommodatissimus, fuge quoad potes talium consilia, multoque magis conuictum, ne impingas in errores.

XXVIII. Peccant, qui nimia lenitate dulces, cum enim effuse dant se populari auræ, aut omnem infimæ plebis rumorem affectant, contemnuntur, virtuosi quidem hi sunt natura, sed etiam molles, ideoque ad res gerendas parum valent. Prudens rigor rebus non obstat. Mordent sanguisugæ, dum prosunt. Nec enim aliqua difficiliora obtinebis, nisi pro tempore, aliquod inconueniens, in vrgendum adhibeatur. Idem consilii medicis inest, vt in morbis malignis & vrgentibus, admisceant potionibus, de venenatis pharmacis, commouendis promptius pellendisque noxiis humoribus, verum adhibent simul diligentissime excellens correctiuum, exquisitam dosin, perfectissimum temperamentum, sine qua cura, medendo plus nocent. Instabis igitur opportune vrgentiore verbo, dextra ostentatione potentiæ, minaciore vultu, intra tamen auctoritatem; mox vbi terrueris modice, rursus

sus in molliora deflectendo, amœniore fronte, faciliore alloquio, tum obuio conuictu, irritamenta amicitiæ ostentabis.

XXIX. In malis mœstitiam, in bonis dissimula effusam lætitiam.

XXX. Quemque diem examina, an amicum paraueris, (aut amiseris) & cura vt pares.

XXXI. Summa auctoritas nisi penes potentiam & fortunas, in minoribus pro superbia habetur. *Cauebis igitur morosam grauitatem.*

XXXII. Talem apparatum mensæ, vestium & reliqui sumptus instrue, qualem semper habere potes, & a minori potius incipienda omnia suaserim, quæ posthæc facturus es maiora, ne eo maiorem incurras in contemptum, quo magis laudatus fuisti, si idem esse, quasi lassus, desinas.

XXXIII. Non demisse seruias maiori, sed reuerenter, et sedulus sis, penes potius, quam perpetuus; Magnorum aliqui, recepta amicorum obsequia, non ad gratiam vrbanitatemque colentis, sed ad debitum, superbiamque suam referunt, et statim acceptorum obliuiscuntur.

XXXIV. Eos etiam in amicitiam pertrahe, qui plus apud alios possunt.

XXXV. Non prompti ſint tui aditus, non obuia comitas, ea tamen moderatione rerum, ne ſuperbiæ titulum tibi parias.

XXXVI. Facilitas amittit auctoritatem.

XXXVII. Oblatum munus potius lubens & animose accipe, quam ſeruiliter gratus, partim debere te, partim deberi tibi gratiam, doce.

XXXVIII. Iube punire, non ſpecta.

XXXIX. Non increpa, ſed grauiter admone, & toruo aſpice oculo. Abſit vero facias contumeliose, nam exacerbas magis, quam corrigis, certe medicus, aſperitate curandi, horrorem medicinæ ægro imponit magis, quam inducit ſanitatem, vt ægrotare lenius nonnunquam accipiatur, quam per acerba ſanari, nemo sanauit vulnus ſcalpendo, verum vngendo, & molliter obtegendo.

XXXX Seueritas amittit aſſiduitate auctoritatem.

XXXXI. Sine ſtrepitu aut acclamatione (ſeu exprobratione) puni delinquentem, ſæpe vero lenius & modeſte, quaſi inuitus facere videare; eſt proſtraſſe ſatis, poſſe proſternere, dum velis.

XXXXII.

XXXXII.. Maiorem aliquando pœnæ apparatus, verborum ſeueritas, tum exaggeratio, imponit auſteritatem Domino, & infamat punientem, quam ipſa pœna. Si igitur pro merito delicti punias, molliter ſaltem loquaris, flagitium, non perſonam oſurus.

XXXXIII. Potius quandoque dicto contrarius ſis, quam ſemper ſeruiliter asſentiaris, doce aliquid tibi diſplicere, pro libertate ſentiendi, quod eſt prope generoſitatem. Sed plerumque ab hominibus (a Principibus vero præſertim) ii pro ſapientioribus, immo pro melioribus habentur, qui ad eorum ſenſum & voluntatem magis accedunt ac loquuntur, decipi malunt, quam non ad guſtum ſuaderi.

XXXXIV. *Bonum habetur ex integra cauſa, malum ex ſingulis defectibus,* ait quidam. Quaſi dictum velit, ad rem bene habendam, omnia impedimenta amoueri debere; minimus defectus ſi obſtet exſequendo, etſi reliqua bona media videantur, res tamen haberi non poterit & intentum.

XXXXV. Sæpius cum titulo, quam ſine, alloquere, quemque pro merito decenter

center honoraturus, nec tamen affectate, vt ſimiliter te compellandi & honorandi inſinues neceſſitatem, aut ſecus (velut importuna ceremoniarum) ſi negligas, alios idem erga te omittere, teque contemptum haberi poſſe doces. Quæ ciuilitas mutui honoris, adeo in animis hominum valet, vt non priuatis modo inter ſe ciuibus, ſed magnis Principibus erga ſibi ſubiectos, non ſit per incuriam transmittenda, nihil enim magis offendit animos, aut verius exacerbat, quam contemptus perſonarum, ſi pro merito non honorentur, velut ille ad Principem: *Cur* (inquit,) *ego te habeam vt Principem, cum tu me non habeas vt Senatorem*, neque Iulium Cæſarem aliud præcipitauit in necem, accelerando coniurationem (quæ differri aut ſopiri poterat) quam Senatorum Conſulumque contemptus, quod reliquum offenſarum erat. *Accedentibus* (ait Plutarchus in vita Iul. Cæſ.) *ad Cæſarem ſedentem pro noſtris Conſulibus, Prætoribus, totoque Senatu, Cæſar non aſſurrexit, tanquam ſi cum priuatis hominibus colloqueretur, quod non Senatum modo, ſed populum, offendit, ciuitatemque*

uitatemque ideo rati (per ignominiam Senatus,) ludibrio haberi. Magna igitur cum triſtitia diſceſſerunt e curia quotquot diſcedendi facultatem habuere, adeoque Cæſar ſenſit indignationem eam, vt ſtatim domum abiret, reductaque a collo veſte, vociferatur, ſe paratum eſſe ad præbendum (ſi quis necare ipſum vellet) iugulum &c. &c. Ferunt vero, cum aſſurgere Senatui vellet, eum ab amico, aut verius adulatore quodam ſuo, Cornelio Balbo, prohibitum, monente (vide nequam adulatorem) *vt ſe Cæſarem eſſe meminiſſet, ſeque vt præſtantiorem coli pateretur.* Nihil igitur magis offenſam in animis mouet, quam ſi honores aut tituli contemptim auferantur perſonis, immo magis, ſi pro malignitate dicacitatis, adiiciantur ſcommata, præſertim in ingenuos ciues, qui eo magis delicatioris ſunt animi in offenſam, quo magis ſuæ virtutis ſunt conſcii.

XXXXVI. Famulitium ſit tibi decorum, equus, cibus, & honeſtamenta domus.

XXXXVII. Nunquam priuatus fias, aut quaſi incognitus.

XXXXVIII. Quanquam inter aduerſa, ſalua

ſalua virtutis fama, non vultu demiſſo aut ſupplex, ſed ex memoria prioris fortunæ agendum.

XXXXIX. Æquale matrimonium, pro auctoritate.

L. Liberorum bona educatio & bona fama, parentibus ſolatium & æſtimatio.

LI. Domeſticos clientes, veraces potius habe, quam blandiloquos, qui tibi ex fide referant & præcaueant, ſi aliquid in populo de te ſpargitur, vt eas recte facto obuiam, ſeu ipſi diluant, vel excuſent. Falluntur, qui illos, nimium placere volentes, in amoribus habent, venundatores potius ſuæ famæ, quam amicos, permitte ſponte (ſi ſapis) referri tibi modeſte omnia extra metum & offenſam, ne ignarus ſis obuiando vel præueniendo, immo te ipſum corrigendo: vera enim exprobrat aliquando vulgi obtrectatio, quæ ipſi amore noſtri, aut noſtrorum, tum per incuriam,in nobis, noſtrisque, non aduertamus, domeſtici vero coram nobis taceant, aut præmonere erubeſcant. *Vult volens decipi, qui niſi blanda ſibi narrari cupit.* Deinde domeſticos tuos,

tuos, non nimis molliter, ſed in actione occupatos habebis, ne innutriantur otio, occaſionibus poſthac emerſuris, futuri inutiles, deſidioſi, inſolentes, dum pro iniuria reputabunt, ſi ad actionem aliquam vocentur, ſemel deſueti: idem innuit perſpicacia Salomonis (Prou. cap. XXIX. *Qui delicate a pueritia nutrit ſeruum ſuum, poſtea ſentiet eum contumacem.* Honoratioribus igitur domeſticis, per honeſtiora munerum, inferioribus, per minora ſeruitiorum vteris.

LII. Inceſſus lentus & grauis, vox ſubmiſſa, cum opinione Maieſtatis.

LIII. Semper vera loquere. *Mendacium ſeruile peccatum eſt*; immo naturam furti habet furtum rem aufert alienam, mendacium verbum congruum furatur veritati, prout commune prouerbium Polonum fert. *Mendaces conſequenter eſſe fures.* Immo ſunt leues, garruli, infidi, inconſtantes, verſuti; ſimulatiui, fallaces, venales, iniuſti, nam fere idem (ex non recte agendi) vitii ſuppoſitum habent. *Veritas mater virtutum eſt*, exinde cum omnia recte facit, *DEUS veritatis* vocari voluit; in diabolo, quia obliqua omnia

omnia et contraria ſunt, patris mendacii, ſupremum titulorum habet. Quem igitur rectum virum probatum cupis, vide, an dicto verax ſit; vix enim fieri poteſt, vt facto obliquus fiat. Veritatem ſemper probo et ſuadeo; verum in aulis Regum, ingrata vt plurimum veritas eſt, pauci ſunt veri amantes *Joſaphat*, ſed plures *Achab*, prout certe, ſi veniat in aulam verax *Michæas*, indignationem Regis experiatur (*odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum*; III. Regum cap. XXII.) aut incurrendum in colaphum adulatoris *Sedeciæ*. Abeſſe igitur a conſilio præſtat (præſertim ſi odio multo, nullo fructu, veritate laboretur) vel cum ades, veritas omnino loquenda eſt, præſtat amittere gratiam, quam conſcientiam, immo præſtat agere *Michæam*, quam falſarium *Sedeciam*.

LIV. Satius te ſubmelancholicum aut grauem potius, quam iocoſum agnoſcant effuſeque hilarem, comitatem tamen ſerua, cum illis præſertim, qui ad mutuam humanitatem, non ad ſuum faſtum, referunt omnia arroganter.

LV. Quod ſcis per obtrectatores detrahendum tibi (quod tuæ domui aut in moribus

moribus

moribus caſu obueniat) potius præoccupabis ſponte fatendo, non detrahent, neque loquentur in exprobrationem, quæ fateris, aut in quo te ipſum ſponte culpas, aut per iocum habes.

LVI. Caue ne vnquam conqueraris, etſi pro impatientia doloris opportunum credas, deeſſe enim tibi aliquid, ſponte fateris, circa amicos, vel circa fortunam, proditor tui ipſius, & ægritudinem animi ſimul detegis, etiam ignotis, vt qui te omni ex parte felicem credidere, magis inde æſtimaturi, iam ſecus aliquid demptum credent, in leuipendium. Omnes ideo hilari vultu excipe, quaſi omnia ex optato fluant, non alia re magis inuidos tibi confundes, qui alias tibi aduersa optarunt.

LVII. Non in veſtitu ſuperfluo aut domo exquiſitis mobilibus ornata (modo hæc ſint neceſſe circa honeſtatem) verum in virtute et morum conſtantia, viri Politici auctoritas conſiſtit.

LVIII. Seueritate ſis grauis, blandientibus incorruptus, aduerſus minantes inuictum habeas animum.

LIX

LIX. Omnibus ſis cognitus et comis, multos ſæpe conuictui, raros ſecreto intimiori admitte.

LX. Obſeruantiam tui in minimis firma, in præſentia maiorum, vt exemplum honeſti reliquis inculces.

LXI. Plura ſæpe in nos peccantur, dum complacemus, quam dum contrariamur.

LXII Honores et præmia ipſe tribuas, pœnas vero aut redargutiones (ſi quæ irrogari iuſto debeant) irrogari cures ab aliis, vt aliorum inuidia, acerbus, ſis tui merito munificus et amabilis.

LXIII. In conſultatione, dum contrariæ emergunt opiniones, qui mediam attulerit, plerumque omnes in ſuam trahit ſententiam, non quod melior iſta, ſed quod ad medium, quam ad totalem aſſenſum adduci ſe plerumque patiantur homines.

LXIV. Cum magnis viris et Principibus extraneis, notitiam quære, et communicationem literarum, aut internuntiorum inſeres.

LXV. Structuræ non vulgares, ſtatuæ, templa magnifica, famam auctoritatis retinent, et parant opinionem, item ſapientum

tum monumenta nomini dicata. Nam quæ maiores requirunt impenſas, niſi a generoſis pectoribus facta veniunt, præſertim cum non ſui lucri, ſed publici commodi intuitu impenduntur, ad famam poſteritatis. Sic *Zeuxes* pictorum præſtantiſſimus, picturas ſuas excellentes, nullo pretio exponebat, ciuibus eas gratuito daturus, vt magnitudinem animi teſtaretur, immo forſan quod arbitraretur, operam ſuam eo æſtimationis aſcendiſſe, vt omne pretium ſuperaret.

LXVI. propoſiturus aliquid populo aut amico, quod in rem mutuam ſit, potius quæres modos, vt petaris, non petas.

XLVII. Conſulebat ille non leuiter ſuæ auctoritati, qui inter colloquendum, ſtabat aperto capite, ne ſedendi aut tegendi capitis, minoribus foret neceſſitas.

LXVIII. Hiſtrionum & leuium ludorum, non ſis ſpectator, tamen nonnulli honeſtæ popularitatis loco ducunt, habere intra domeſticorum numerum, ioculatores & hiſtriones lepidos. Ait *Marius apud Salluſtium.* Sordidum me & incultis moribus aiunt, quia parum ſcite conuiuium exorno, neque *hiſtrionem vllum*, neque

pluris pretii coquum, quam villicum habeo; nam ex parente meo accepi, munditias mulieribus, viris laborem conuenire, arma, non ſuppellectilem decori eſſe.

LXIX. Voce oppreſſos, defende potius, quam opprimas, & patronum miſerorum publice age.

LXX. Loquaces & leuiuſculos, tum vinolentos, noli laceſſere verbo.

LXXI. Legatos extraneos, honorifice domi tuæ excipe, quo famam nominis ſpargant, & ab iis cura ſalutari.

XXII. Poſtula magis, quam ſupplex roga (quia facilius res ſic habentur) ac potius per alios, nec vnquam oblitus tui. Illaudatum alias, Othoni (apud Tacitum) Qui *protendens manus, adorare vulgum, iacere oſcula, & omnia ſeruiliter pro dominatione.*

LXXIII. In publico populi conſilio, multa obiecta ſæpe ſoluuntur tacendo, multa reſpondendo, immo multa non audiendo.

LXXIV. In grauioribus cauſis, aut quæſtionibus, tum obiectis, ſi melioribus conſiliis res flecti non poterit, *non quid reſpondeas: ſed quemadmodum non reſpondeas?* cogita.

LXXV. Qui multa reſpicit, nihil agit, dum conſilio, ſeu dum facto opus eſt. In conſultando præſertim illi, qui mere in partem aſſentientium tranſeunt, aut qui mere contrariantur, probantur; ambigui vero, ſeu neutrales, (vel vt vulgo aiunt, *non totaliter reſoluti*) neque apud populum neque apud Principem parant ſibi auctoritatem, vtrique parti ſuſpecti. Recte dictum: *Media via, nec amicos parat, nec inimicos tollit.* Tum illud: *Tremula manu vitrum capiendo, quo magis frangere quis cauet, frangit.* Merito ſuccenſet Tacitus (Hiſtor III.) Vitello, eiusque produci, dum in hanc illamque partem ſtudiis diſtenditur & expendit diuerſa, cautus nimium eſſe cupiens, proditor ſui verius factus, *quod inter ancipitia deterrimum eſt, dum media ſequitur, nec auſus ſatis, nec prouidit.* Eo collimat dictum (apud Eccleſiaſtem cap. XI.) *Qui obſeruat ventum, non ſeminat, & qui conſiderat nubes, nunquam metet.* Reſolutus ideo ſis facere ſerio, quod aggrederis, non tamen aggredieris, niſi facta licita, ne dum inuoluere vis, periculo inuoluaris. Licitis DEUS adeſt.

LXXVI. Apage cum amicis, qui ſæ-

pe reconciliantur: Aut cum domeſticis, qui crebro deprecantur.

LXXVII. Maiora negotia apud populum tibi tractanda aſſere, minutiora relinques minoribus. Quædam digito opus habent mouenda, non brachio.

L*XX*VIII. Etiamſi omnia refutanda ſint, aliqua tamen approbato, ne omnino contradictorius eſſe videaris, ſalua tamen virtutis fama.

L*XXIX*. Primis iniuriis ni reſiſtas cum grauitate & virtute, contemneris. *Veterem qui fert contumeliam, inuitat nouam.* At quomodo, non procaciter, verum prudenter reſiſtendum? tu videas.

L*XXX*. Paſſio plerumque in nobis dominatur, & zelum putamus, dicendum ſeu faciendum aliquid, nobis vſu venit, verbo inuehimur, velut correcturi, & exacerbamus potius, ſæpe detrahimus, ſæpe diffamamus, ſæpe irritamus materias & perſonas, quod agere pro modeſtia, aut intra diſſimulationem, magis in rem fuerat. Veritas, omnisque modus agendi ſtylum ſubtiliſſimum referat, non cuneum, qui findit magis, quam penetrat. Cum nimis iuſti eſſe affectamus, in iniuſtitiam

impin-

impingimus. Sæuitia quandoque eſt, dum punitionem putamus, nec eſt correctio, ſed exacerbatio, aut alienatio amici morosa. Cum rigide, vel (vt aiunt) *Moroſe ad puluiſculum vsque*, repetimus noſtra, non fit vt aliena cum noſtris non inuoluamus, impertinentium verius raptores, quam exactores iuſti. Sæpe deinde potentiam credimus, cum inferre iniuriam poſſumus, aut ſecus accipere credimus, niſi inferamus: nec repuliſſe eſt, niſi alter iniuriarum patiatur. Quæ igitur minore damno aut ſcandalo diſſimulari poſſunt, diſſimulanda prudenti viro ſuaſerim, qui priuatam aut publicam pacem, quietem mentis, pacatam conſcientiam habere cupit. Eo fere collimat dictum: *A iuſtitia recedendum nunquam in parvis, qui velit ſaluum eam in magnis*, non enim ſic erit iniuſtitia, ſed diſſimulatio iuſta. Idem vult Spiritus S. apud Eccleſiaſtem: *Noli eſſe iuſtus multum, neque plus ſapias, quam neceſſe eſt.*

L*XX*XI. Proxime ſequitur, virtutis etiam zelum temperandum, idque amore in maius promouendæ, vt dum nimio ipſius (prout debemus) ducimur amore, tamen ſecundum tempora & perſonas,

prout

prout res agenda venit, ſuauius (cum vitii quadam diſſimulatione) ſenſim animis hominum eam inſinuemus, quod non eſt recedere a virtute, ſed eam prouehere in maius. Scriptura docet alios hominum acerbius increpitos, alios per ſimilitudines ſuauiter reductos. potius quam retractos. Sic CHRISTUS, dum bonum Patremfamilias repreſentat, intemperantem zelum ſeruorum arguit, & diſſimulare docet. *Sinite, ne forte colligendo zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum.* Sic erratum a noſtris in Moſchouia, intempeſtiuo, ne dicam, inſolenti religionis zelo; cum enim Demetrius Magnus Dux Moſchorum, Polonam virginem in vxorem duxiſſet, occaſione Catholicæ Principis aliqui Polonorum iactanter ad inuidiam vsque Moſchorum ſchismatis, ritum Catholicum dum promouendum contendunt, Demetrium Ducem, nouamque nuptam, in exitium præcipitarunt, Poloniamque cruento implicarunt bello. Sed magis profana nobis ſeruiant in exemplum. Seueri mores Galbæ Cæſaris, licet recti, ſed non pro tempore adhibiti, exitio fuerunt, *quibus impar ea ætas erat.* Cum forte circa flagitationem mili-

militaris donatiui, magis animose, quam in rem opportune diceret, *ſe militem legere, non emere,* dum rigidus recti priſcique moris aſſertor affectat fieri, non aſſecuturus, ſimul rem, ſeque perdidit: Conſultius alias facturus, ſi intra diſſimulantem, importunitati nonnihil in tempus conceſſiſſet, & deliniuiſſet humaniori verbo flagitantes, ſenſim alia via cum tempore in melius reducturus. Neque a virtute Imperatoria ſic receſſiſſet, ſed intra prudentiam regendi, habuiſſet totum. Etiam in aſſerenda libertate, circa obſeruationem antiquarum legum, vel aliquid nouum ſtabiliendum, temperato, & recollecto zelo opus; ſecundum res, tempora, aut perſonas agendo: ne dum reducere ad normam rigide contendimus, potius malum, resque irritemus. Qua in re ſumma perſpicacitate, iudicio valido, ac ſuper omnia, experientia opus eſt. Nec poſſunt in eo valere, niſi ſedata, defæcataque ingenia, *quæ non quid debeat fieri, vel prout aliquando factum eſt, ſed quid nunc recte poſſit,* ex æquo penſant, et magis, *e particularibus cauſis, reique propinquioribus, quam ab uniuerſalibus, maximis (quæ in particulari fallere amant, & iudi-*

& iudicium consulentis non leuiter arguunt; nam vniuersalia multas exceptiones habent, & multas circumstantias requirit imitatio, ideoque sæpe nos fallit) consilia eruendo, & quæ non habendi cupidine, aut spe inani, sed magis possibilitate certa, beneque consulto, res metiuntur, *dum ratio appetitu superior est.* Aliquando enim suauitas agendi, aliquando rigor, aliquando vtrumque simul, vel demum nihil agere, sed dissimulare in tempus, & ferre malum, prodest: ne dum præcociter vnicum vitamus, multo maiora, immo plura incurrantur, res irritando: vt hoc casu seruiat dictum: *Malum bene positum ne moueas.*

L*XXX*II. Igneæ nonnulli tum inquietæ mentis, tum sibi non otiari, sed agere complacent, dum quieta, non sinunt quieta, aut nisi res turbent, & in aliena (quæ sæpe deuorarunt) inuehantur, se diem perdidisse suaque arbitrantur; & pro iniuria reputant famam potentiæ ex aliena iniuria aucupantes. Vt igne Salamandra, sic nonnulli asperis & discordia viuunt, *quæ alii flagitia, hi remedia vocant: In id nati, vt nec ipsi quiescant, nec alios sinant.*

L*XXX*III. Potius non videre te iniuriam, simula, quam dum vides, vindicare illam opus habeas, ne si agnitam molliter dissimulaueris, peius contra te in posterum peccetur.

LXXXIV. Si impetu in aliquid nouum fertur populus, cui resistere non possis, satis penes virtutem habeas, si non assentiaris.

LXXXV Quæri exinde potest, quid securius, & in rem magis opportunum: an præcipui vnius, vel saltem aliquorum in Republica, an vulgi aucupari fauorem? Non disquirendo hinc illinc, constat, qui totos vulgi fauoribus se dedere, ab ipsomet vulgo proditos, oppressos. In cuius gratiam, cum omnia feceris, semper aliquid in maius vulgus requirit, vel ni sufficias, antea bene fecisse damno est. Quod vero maius, dum abutitur vulgus bonorum virtute & opera (semper eos casibus obiectando) facit velut indiscreti equites, cum bono equo læti, intemperanter vtuntur, & nimio cursu fatigant, non parcendo labori, nec alium substituentes, eum perdunt, quod in vitis Gracchorum (apud Plutarchum) obseruatum habeas, & ratio in promptu. Nam facilius paucorum

corum genium noueris, parauerisque tibi fauorem, facilius gratiam demerearis, aut iratos placaueris, facilius cum paucis agas, ſuadendo, diſſuadendo, orando facilius obtineas, dum ſe citius pro paucitate expedire poſſunt, decernendo. In multitudine ſecus, communitas frontem non habet, quæ non tam facile de malefactis erubeſcit, dum diſperſim ignominia, in tot capita vadit, ad vnius vero Principis perſonam (non diuiſim) tota infamia (eiusque poſteros) directe ſpectat, eoque magis afficit. In populo deinde, diuerſa ſunt ſubiecta, inclinationes, affectus, ſtudia, quibus impoſſibile ex æquo vt ſatisfacias, dum pro diuerſitate ingeniorum, ſuſpicantur vana, aut ſecus interpretantur, cum non intelligunt rem, plures vero pro malignitate. Offenditur quidem Princeps veritate, ſed magis offenditur, & ſimul furit populus, vni dum places, alterum fere offendis, nam in amores, odium, æque facile vulgus fertur, non vt ſtudioſe velit, ſed vno alteroue impellente. Quod vero grauius, ſi in aliquid bonum fertur populus, omnes volunt, nec omnes (vnus alium circumſpectantes) curam adhibent;

adhibent; iam ſi nocere cupiant, quisque pro ſe manum ſtudioſe adhibet in vltionem; ad nocendum vniti ad benefaciendum tepidi & diſtracti. Ex eadem ratione forte *Machiauellus, ingratiorem fieri populum cenſet, vnica Principis perſona.* Dixerim itidem, præſtare fauorem aliquorum præcipuorum in Republica, (ſed quem non per flagitia & obliqua demerearis) fauoribus vulgi. Addo ſuper hæc, ſi non altioris alicuius boni, aut virtutis intuitu (quæ ſola ſibi ex conſcientia recte facti præmium eſt) ſed aucupandæ vulgi gratiæ & popularitatis, rectum aliquid in publicum facias, falleris. Sæpius odium pro gratia redditur: rem expertam ipſe habeo, quam loquor. Si profana parui ſunt, en cape in rei documentum altiora, quia ſacra; Nemini magis, quam operatori ſalutis CHRISTO, fraudi fuit populi plauſus & gratia: hodie vt Regi, filio Dauid, in vrbis ingreſſu, palmis & ſubſtratu veſtium, in pompam triumphi, vias ſternentis; mox intra dies aliquot ſubita mutatione crucifigendum petentis. Sic fere vulgus, *cuius boni, aut praui affectus, nunquam modicis continentur.*

LXXXVI

LXXXVI Afflictis palam condole, sed tamen sine iniuria affligentis.

LXXXVII. Honores non pete ipse, oblatos specie recusantis accipe, non multo exultantis animi signo, nec etiam tristi, vt ingratus, sed grauiter. Per amicos petiturus non ore tuo, pro fama modestiæ, tum vt videaris, *magis te posse officium gerere, quam nimis velle*, quod venustatem actioni imponit, & dantem magis promptum reddit. Vis adhuc altius, vnicam artem disce: non quomodo ambienda quæras, sed quomodo sorte contentus, non ambias vltra, pacatus: plura sic vtique (immo omnia) lætus contemnere potes, & quasi ex alto animi despicere, non omnia vero destinata, ambiendo adipisci, eoque de non habito tristis, & stans loco velut inferiore. Habet velut omnia, qui non vltra cupit, in animi mensura, non fortunæ. Sat satis habendorum modus.

LXXXVIII. Apertis horreis, leua pretia frugum.

LXXXIX. Nobiliores exules, tum a fortuna desertos excipe domo, & necessariis procura. *Alii diuidunt propria, & ditiores sunt, alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt*, inquit sapiens.

LXXXX. Pupillis honestarum familiarum, sumptus educationis prouide.

LXXXXI. Si a populo voce opprimaris, modestiam obiice cum grauitate & reprehensione generosa, quam vt frustra acerbius contendas, vnus a multis facile contemnendus, nec alia tutius via, furorem populi euades.

LXXXXII. Miseris sis aditu facilis, & intentus querelis, licet subrustice & tædiose conquerantur, nam loquax vt plurimum dolor est, da bona verba, grauia tamen potius, quam mollia, condole saltem, ni iuuisse sufficis, nemo vtique verbo pauper est, quod æque afflictis gratum, ac si iuuentur, aut secus nouam iniuriam sibi inferri putent, si transitorie audiantur. Princeps igitur, aut quicunque sunt viri honesti, in omni vitæ suæ actione, teneant recte agendi præceptum. *Nihil sibi esse salubrius, tum ad amorem populi parandum accommodatius, quam humanioribus responsis etiam infimæ sortis homines ab se dimisisse*; salva tamen grauitate, ne obuia facilitate vilescat.

LXXXXIII.

LXXXXIII. Inter *militares* de armis loquere, inter *doctos* de virtute, doctrina, libro, honestate, personis, rem & sermones accommodaturus; *Hilares*, liberalius suauiterque excipias: *Seueros* aut *morosos* contractius, & breuibus tractabis, cum facile multi sermonis nauseam habent. *Ambitiosis* honorem deferes, reuerentius agendo, perinde ac si eos multi facias: *Cum modestis & sinceris*, simplicitatem dicti quæres, nam facile dolum suspicantur, si verborum inuolucris, & ambagibus affectatis vtaris: *malignos, astutos, levesque*, quoad potes, vitabis, sed procul a nota vitantis, ne offensos habeas; vniuersim vero, secretorum tuorum (loquendo) cautus eris: insuper inter *æquales* dignitatem ex pari tueare, ne posthabearis, non tamen semper ad numerum, & Stoica grauitate, ne arrogantiæ nomen parias: inter *inferiores*, faciliorem tui copiam præstabis, vt ameris, non nimius tamen aut effusus, ne satietatem inducas, sed proprior grauitati. Erga *Superiores* nonnihil submissus te geres, non tamen immemor tui, verum *intra venustam generositatem*, nec vt abiectus, aut adulator, tum deformi obsequio laborans.

94.

LXXXXIV. *Meticulosorum ingenia* ingesto terrore, nec tamen sine condimento gratiæ, ad officium commode rediges: *Generosos* secus, exacerbat terror, vt potius reddas obstinatiores, aut alienes verius, dum eos, sic parare cupiuisti, verum eos gratia, comitate, liberaliore conuictu (idque ad obsonii raritatem, non semper facili aut effuso, magisque adhuc grauitate agendi generosa, quæ reuerentiam personarum ingerit) tibi obstrictos pares. Verbo dicam, iniuriæ generosum irritant, mollem tum pusillanimum frangunt. Cum *mediis* aut *indifferentibus*, præsertim vero cum astutis; aut qui libenter insolescunt, adhibebis simul vtrumque, *terrent nonnulli, ni paueant. Morosos* denique & *intrusores*, lautiore mensa, & aliquid pro tempore dando, tibi mercaberis. Rara tamen ingenia, quæ non hoc vltimo telo expugnare fas sit. Prout igitur hunc aut illum, ad tuum beneplacitum habere vis, introspice naturam prius hominum, animi æque varii sunt ac vultus, vt agas, prout ad metum, vel generositatem inclinat, vel participat simul de vtroque, vt quemque suo affectu aggrediaris expugnandum, prout in aliquo hic,

aut

aut ille, magis prædominatur, metusne, cupido gloriæ, amor priuati commodi, publicum bonum, aut tenerior conscientia; obiectando dextre ad persuadendum, pericula, ignominiam, damna, iacturam publici, ingerendo scrupulos, & offensam DEI, & quæuis in contrarium, vel si faciant, omnia euentura in parte meliore: iam si omnino refractarii sint, recta sequendo, saltem in molliora quoquo modo deflectes, & concedes partem, velut Senecæ & Burrho visum, *ne utrumque NERO peruinceret, alterum concedere*; vel certe euenet, (præsertim si cum generosis res est) vit negligant, si aliquid modo in speciem generositatis sibi concedatur, nec plane impugnari videant, alias nihil peruincere, seruile putantes; sæpe repeto: *Hominum animi, sicut generosi equi, molli freno facilius reguntur.*

LXXXXV. *Qui amat accipere, negat nihil.* Non in priuatis modo, sed puta in publicis, facile habentur omnia, præsertim apud eos, quibus accipere dulce est, dum sunt *semper venales & alienæ ministri potentiæ*, immo mensarum placitorumque asseclæ. Non ex vano, inexpugnabilem vrbem,

vrbem, expugnandam facile credidit, in quam asellum onustum auro, intrandum didicit. Et Iugurtha, Romanum statum inclinari aduertit, debiteque illusit: *O venalem Romam & mature perituram si emptorem inueniret*, cum reperit plerosque ex curulibus, qui accipere oblata, non prompte recusarent, immo promptissime caperent, vendi sibi negotium amauit, cum venditores odisset, proditionem, non proditores amaturus; viri ideo quicunque recti, etiam licite oblata, intra verecundiam, propiusque nolentes, acceptare debent, aut prorsus non acceptare, virtutis præmium in virtute quæsituri; hoc enim genus vitii, mentitæ suauitatis condimento, facile insinuat se hominum sensibus, & leuiter modo tangentibus allinitur sine sensu. Facile qui accipit, facile dat sibi suaderi. *Pessimum veri affectus venenum, sua cuique vtilitas.* Merito pagina sacra rectos in populo viros, iudices, ducesque dum laudat, aut secus deprauatis dum succenset, his appetentiam munerum exprobrat, in illis contemptum oblatorum, velut solam rectæ popularis virtutis normam commendat. *Dixit Samuel ad vniuersum Israel* (1. Regum

gum (Cap. XII.) *Loquimini de me coram Domino, vtrum de manu cuiusquam munus accepi, contemnam illud, reſtituamque vobis.* Et dixerunt: *Non tuliſti de manu noſtra quidquam.* Et Cap.VIII. *Non ambulauerunt filii Samuel in viis eius, ſed declinauerunt poſt auaritiam, acceperunt munera, & peruerterunt iudicium.* Mirum dictu, quod peruertat veritatem, bonum publicum, & peruertat iudicium, qui propere accipit munera. Talesque hodie videas: *In quorum manibus iniquitates ſunt, dextera eorum repleta eſt muneribus* (Pſalmo XXV.) Potius igitur, *non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes & ſubuertunt verba iuſtorum.* Exod. XXIII.

LXXXXVI. Nullius artem reprehende, quod vel maxime offendit.

LXXXXVII. Multa in abſentem ſtatuuntur, quæ in præſentia non fierent, cura (ſi tute potes) vt dicendis de rebus aut ſtatuendis adſis præſens, cum auctoritate tua & amicorum, ne per abſentiam conſcientiæ facti arguaris, eaque importuna meticuloſitate, maiorem ingeras audaciam (æmulis) validius contra inſurgendi, qui niſi tua imbecillitate fortes.

98.

LXXXXVIII. Magnorum virorum diſſidia, concilia, & mediatorem te interpone (etiamſi non vocatus) ſi auctoritate vales, ſed procul ab importunitate, & ſine alterius partis offenſa, fac talia pro publico bono, & amore proximi.

LXXXXIX. Dum punis, priuatim puni, dum parcis, publice parce.

C. Habebis aliquem bonæ exiſtimationis virum, qui pro te agat, & loquatur in publico, quam vt ipſe pro te. Maior alienis dictis, in aliena cauſa fides, laudando vera, ſeu excuſando liberius, falſo impoſita, tum opinatiua, & minor tibi dicenti inuidia; quæ pro ſua cauſa dicuntur magis ex neceſſitate propria, & pro animi paſſione, quam ex vero dici communiter creduntur.

CI. Quæ tibi aduerſa acciderint, ſupprime, aut tege lætis, proſpera latius diuulga.

CII. Sermones vulgi, velut neſciens ignarusque feras, prohibiti enim plures erunt quam veri, ſi prohibeantur, & nocituri.

CIII. *Securitati conſule prius, antequam vindictæ*, quosdam enim, haud tuto aggrediaris, vt cauere ab iis magis opportu-

num ſit, quam vt aliquid acerbius in eos ſtatuatur.

CIV. Iuſtitiam ama, & verax ſis, quo magis fidem rebus tuis pares.

CV. Nonnulli dexteritati, tum prudentiæ, virtutique ſuæ tantum fidunt, vt ſponte ſeſe coniiciant in occaſiones periculoſas; negotia intricata, difficilesque conatus, ſupra vires aggrediantur, quaſi in arbitrio ſit, ex illis eluctari, tamque deſerere promptum, quam irritare incepta, tum velut ſupra humanos caſus conſtitutis, tum non errandi poteſtatem, ſub imperio habentibus. Quod ſecus fit, dum tenemur potius a negotiis, quam tenemus illa. Non admittere vero occaſionem, primus gradus eſt non errandi, dein poſterior non errare. Ne DEUS quidem, dum probos vult nos fieri, peti voluit, quam *Ne inducamur in tentationem* quaſi non peccaturi, ſi tentatio (id eſt mali occaſio) abſit. Non igitur quantum in nobis eſt, dubiis rebus nos volenter committamus, ne apprehendamus plus animo vel manu, quam cui ſufficere poſſumus retinendo, vel contra obluctantia conſtanter perſeuerando, nec ſibi blandiatur

mens

mens, vt præſumptuosa opinione noſtri, minus opinemur de virtute contrariæ partis, dum volumus, vt euitemus occaſiones errorum, immo ipſa mala. *Facilius aliqua non recipiuntur, quam exeunt, immo excluduntur venientia, quam expelluntur, dum fuerint admiſſa.* Qui admittit occaſionem, admittit errorem.

CVI. Iraſci, mala verba dare, ferire, nomini fidere, res quietas non ſinere pro libitu agere, aut ſecus, in ſpeciem auctoritatis deſidere, *Nomine magnifico ſegne otium leuare*, in alios agendum opus coniicere, ſuperbire, tum inſoleſcere, poteſtatem regendi nonnulli falſo putant, cum alias ſuauitas agendi (præuia prudentia & cautione) rebus perficiendis totum poſſit. *Maxima flumina minimo ſono labuntur.* Non tamen obſit rebus, ſubiraſci modice, intra grauitatem agendi, immo valde proſit, vt viuacius in executionem vrgeantur, *iram prudentem, eſſe cotem fortitudinis*, non ex vano dictum, in conſilium vero recte incipiendorum, ſola prudentia cum deliberatione non affectata, ius ſemper habent. *Poteſtatem, cautis*

 quam

quam acerbioribus consiliis tutius haberi. Tacit.

CVII. Vitia hominum priuatim publiceque, nihil magis intendit, quam cum male fecisse, ioci vicem habet, nec suspenso supercilio, sed excipitur cachinno. Exinde licentiosi, dum non timent DEUM, quod reliquum erat, excussa hominum reuerentia & pudore, male facere sibi complacent, vel dum in rectiores incurrunt, qui rigidiore fronte, tum verbo factum excipiant, indignantur, moneri nolunt, paucorum rigorem & censuram iniuriæ ioco habent, dum plures iocoso intuitu, talia transeunt, velut approbantes. Moderni seculi, immo nouæ Politiæ ea labes est. Rigidæ priscorum Germanorum virtutis, non immerito causam annexuit Tacitus (de mor. Ger.) *Nemo illic vitia ridet, nec corrumpere aut corrumpi, seculum vocatur.*

CVIII. Non leuis est prudentia *Moralis*, tum *Politica*, scire in suis domi, & ciuibus publice, quædam minora dissimulare, nec vetare, ne obtineas, vt peruincendo (quæ agnita vitari, nec coërceri possint) in peiora mala incurratur, ex iussorum & impunitatis contemptu, nisi aliquid fragilitati concedatur, velut profundissime sparsim *Tacitus*, tum alii. Nescio, annon tutius sit, quædam adulta & præualida vitia admittere, quam illud assequi, vt palam fiant, quibus prohibendo, pares iam non simus, dum vero prohibita semel impune transcenderis, neque metus vltra, neque pudor est; Quædam tutius non prohibere, quam prohibita leuiter præterire, & sontem non accusare, quam accusatum non punire, nam euulgatus pudor, non satietatem vt multi rentur, sed incitamentum parit. *Coërcitio plus damni in Rempublicam quandoque affert. Quam indecorum vero attrectare, quod non obtineatur, si velis? Quod nondum vetitum est, timeas ne vetêre.* Tolerabilia sunt modica vitia, quam prohibitio, cui nemo paret. Mithridates continuo vsu veneni, naturæ suæ reddidit familiare toxicum, vt contra noxia induraretur: sic aliquæ malæ consuetudines, tum abusus consuetudine roborati, non tam obsunt Reipublicæ, (nam sæpe alterius virtutis interuentu, velut ad æquilibrium pensantur, & cum tempore conueniunt) quam præceps correctio: prout violenta medicina, plus nocet ægrotis, & vim naturæ infert, quam ipse morbus

morbus, qui ſenſim vtique conficit. Inter hyemem & æſtatem, ver aut autumnus ineſt, inter diem & noctem diluculum, natura ipſa haud violenter, ſed quaſi per gradus, in mutationem ſe transferente; etiam virtuti horror imponitur, ſi ſeuerius ſe intrudat, non ſuauiter inſinuet; cum tempore curandum, quod cum tempore inualuit. *Repentinæ nouitates ſunt tanquam aduenæ & peregrini, quos admiratione plus, minus beneuolentia proſequimur.* Exinde nouorum Politicorum axioma vix improbauerim: *In ſeculis aliquando corruptioribus, homines induſtrios & ſatagentes, vſui magis eſſe, quam pro rigore virtutis nimium zeloſos.*

CIX. Ne decipiaris, mature cogita, te deceptum iri. Sæpe diffidentia mater ſecuritatis eſt, aut ſecus, ſi in vanis nimium ſcrupuloſus ſis, ſæpe cauſa, inanis metus, nocet rei, nocet parandis amicis. Dubitauerim præterea, an modica calliditas, non ſit in parte Politicæ prudentiæ, ſeu cautionis, pleno hoc obliquorum ingeniorum ſeculo, non vt circumuenias, ſed ne circumueniaris, dum quemque pro ſuo ingenio ſcis metiri. Aliqui enim ita ſunt incaute ſinceri, ſi præſertim in blandiloquos & aſtutos incurrant amicos, vt nihil ſiniſtra intentione agi opinentur.

CX. Sis Politicus, non tamen vt te Catholicum eſſe obliuiſcaris.

CXI. In priuatis publicisque negotiis, cum paucis vel cum populo, non ſemper idem tenor, modusque actionis ſeruandus. Dum habere probe cupis, verum ſecundum tempora, perſonas, immo cum iisdem perſonis, ſed aliis occaſionibus, rerumque circumſtantiis modum agendi, variari neceſſe. Aliquando ſeueritas iuuat, aliquando eadem obeſt, ſed prodeſt clementia & ſuauitas, aliquando munifice, aliquando parcius aliquos habere oportet, & dandi facilitas obeſt, tacere & diſſimulare, nonnunquam exprobrare palam, aut tacito conducit. Aliquando properare aut cuncta petentibus ſtatim annuere, aliquando differre in tempus, negare, difficilem ſe præbere, & graue ſupercilium monſtrare, prodeſt, mollius aut auſterius, cum auctoritate matura, vel ſubmiſſius, familiariterque pro confidentia agendo. Nec CHRISTUS in ſua Oeconomia, ſemper eundem agendi modum ſeruat, ſed pro tempore variat; peccatricem mulierem ad pedes ſuos prouolutam

tam prompte admittit, peramanter aspicit, *bonum opus operantem* laudat, eandem postea, licet pœnitentem, & in melius correctam, a sui amplexu arcet, seueriusque habet. *Mulier noli me tangere*, cum vtrumque intra peræqualem bonitatem ageret, illud intra summam clementiam, hoc cum Maiestate, non extra tamen gratiam, modo vatio & causa, verum intra eundem amorem, dum simul arcet, simul solatur eandem, simulque honesto præficit officio. *Quid ploras? quid quæris? Vade ad fratres meos , dic eis* Ioh. XX. Dixerim, qui se aliorum exemplis, suæque probatæ semel praxi totos alligant, nisi aliquid in præsens mutent agendo, addant, minuantue, grauiter falluntur, potuit iisdem de causis, cum iisdem personis seuerior modus prodesse, cum quibus alio tempore, alio loco & occasione, nisi suauius agendo remittas de rigore, rem turbes, nec quod voluisti assequare, vti eadem vestis, non cuilibet corpori & ætati, sic praxis & exempla, tum imitatio, rebus & personis non quadrate seruiant, nisi pro tempore immutentur.

CXII. Animi constantia et ingenuitas iuuat in aduersis, superat inuidiam, arcet mala

mala: mollities secus, accersit periculum, cui vitam, animi fortitudo aut constantia non dabit, metus aut fuga rarius parabunt. Sic (apud Tacit) accusati de amicitia Seiani, alii per mollitiem excusando, eo maiorem suspicionem sui cum mouissent, succumberentque in casu, *Marcus Terentius* ingenue quod verum erat, solus fatendo, constanter superauit inuidiam, et euasit obiectorum pœnam, prout eius responsoriam, non sine gustu, et paranda doctrina legas apud Tacit. VI. Annal. Qui silentio tristi obiecta recipit, non modestia est, sed tacita confessio, aut iudicem tacite arguit sæuitiæ, quasi in maius defensione innocentiæ irritetur: qui autem negat, quod vere obiectum, seipsum accusat, non quod noluerit, aut de malefacto doleat, sed quod latuisse tantum expetiuerit, præsidium malitiæ ab occultis habiturus, immo metum prodit, ex facti conscientia et atrocitate, quod fateri veretur, non extinguit materiam obiectorum, sed irritat accusatorum æmulorumque proteruiam, tum ad inquirendum et comprobandum ingenia, ne frustra obiecisse videantur, demum acuit

acuit audaciam, vt contra timentem grauius insurgant, inclinatum concitatius impulsuri in ruinam. Qui secus ingenue fatetur, propius pœnitentem est, vt doleat de obiecto, quod sponte agnoscit et corrigendum videt; dein, fortis vtique animi signum est intuitu virtutis (sit vero, sit specioso) tum pro ingenuitate, aliquid dicto, facto, tentasse, non tamen malitiose, tum ex dolo, qui semper suspectior est, quam animi apertus candor. Non superba tamen debet esse facti confessio, nec velut exprobratio, quæ magis exacerbat, dum obstinatioris animi signum est, accusatorem et obiecta velut contemnens, sit potius, intra vultus verecundam amœnitatem, nec extra ingenuam modestiam, quæ innocentiæ suæ (dum non turbatur) fidem facit, ac de clementia prudentiaque discernentis multum sibi persuadet; Aut si omnino deprecandum sit, non faciat tamen aliquis vt nimium abiectus, nec veste sordidatus aut squalidus, quod indignationem sæpe magis, quam miserationem mouet; verum faciendum ex memoria ingenuitatis et honesti. Sic, vt per varia casuum abeam (apud Thuanum) Joannes

Frideri-

Fridericus Saxoniæ Dux, victus prælio a Carolo V. Cæsare, et captiuus, cum pro nota rebellionis, decretum mortis, iussu Cæsaris adferri sibi videret, lusui latrunculorum tunc forte intentus, velut in aliena causa minime turbatus, Ernestum Ducem Brunsuicensem secum colludentem, simulque forti compatientem constanter monuit, vt eo non obstante, lusum continuaret, *suam innocentiam Cæsarisque clementiam, ea in parte sat pro se laboraturam*, subiungens; qua infracti animi constantia, Cæsarem flexit, et periculum vitæ, licet non fortunæ, superauit. Sic apud Franciscum Guicciardinum (Histor. I,) Cum Rex Galliæ Carolus VIII. (moto bello pro recuperanda Neapoli contra Arragonios) in Italiam cum exercitu se infunderet, ac forte per transeundum, a Florentinis, pro societate armorum et amicitia, in vrbem receptus, contemptius eosdem haberet, conditiones aliquas grauiores extorsurus, illi vero potentia Regis consternati, circa consensum tergiuersarentur, solus *Petrus Caponius*, vir altioris animi, agendi constantia, rem animosque ciuium restituit, et Carolum plena generositatis voce, tum

facto

facto, terruit, verba ſunt Guicciardini (Hiſt. I.) *Cum eius collegæ coram Rege ſtetiſſent conſternati, atque a Regio ſcriba, compoſitionis capita iniquiſſima, ſcripto recitarentur, Caponius rei indignitate vehementer permotus, libellos e manibus ſcribæ abreptos, Rege ſpectante diſcerpſit, & ſe abiturum proripiens, voce concitata ſubiunxit: quandoquidem tam iniqua poſtulantur, veſtras vos inflabitis tubas, nos campnas pulſabimus noſtras, haud obſcure innuens, eas controuerſias, mota plebe, armis eſſe decernendas: conſtat, tanta fiducia verborum Caponii, terrorem Gallis iniectum, ſecum reputantibus, tantam in eo homine conſtantiam, non ſine fiducia alicuius paratæ potentiæ, & ſubſidiorum eſſe; quamobrem, eo revocato Rex in æquiora, nec abſona Florentinorum libertati deflexit.* Sed cur vado per externa, cum adſint domi exempla propria, idque in meamet cauſa. Cum per iniquitatem delatorum, recta plerumque ciuium vota in ſequiorem ſenſum trahentium, liberius dictorum (vt fieri aſſolet circa libertatem) coram Rege accuſarer, ipſeque ad interiorem Cameram me vocato, pro Maieſtate exprobraret, id, quod certe verum erat,

Augu-

Anguſtiæ mihi vndique, hinc mendacium ſeruile peccatum (ſi vera negarem) et offenſa DEI, illinc apertior offenſa Principis, ſi faterer, recollecta repente mente in partem vtique poſteriorem peccare malui, nec tamen apud pium Principem peccaui, fronte ad amœnitatem (pro fiducia conſtantiæ, non extra tamen modeſtiam) compoſita, ſubiungens: *Si quæ a me dicta, non profectum a malitia, aut inquieto ingenio, ſed factum pro fiducia legis, tum æquitatis, cuius aſſertorem pro Catholica pietate, ipſum Principem eſſe ſcirem; nec mihi alias iurato Senatori, niſi cum lege loquendum conueniret;* cum igitur reſponſum acceptandum, aut aperta lex, tum æquitas impugnanda eſſet, quod nequaquam bonus Rex apud animum peruincere potuit (nam etiam iuxta populi libertatem conuenientiſſimum erat) obiectio, intra ingenuitatem reſponſi conquieuit; vnde, vti per cætera geſtorum, alios, ſic eo caſu, me quoque publice ac priuatim æquioris animi, bonus Rex habuit præconem. Ceſſare debui, verum non extra materiam, vnicum adhuc conſtantis tum infracti

cti animi exemplum apponere, Ferdinandi Arragonii Neapolitani Regis. Cum enim ſupra memorato Carolo VIII. Galliæ Rege, victricibus armis Neapolitanam oram peruadente, ipſaque Neapolis vrbe, et Prætorianis cohortibus in victoris nomen deſciſcentibus, Ferdinandus regnum deſerere cogeretur, nihil ſpei relictum, quam vt cum paucis intimorum, relicta Neapoli, in Ænariæ Inſulæ arcem, *Iſcleam* nomine, ſecederet, verum eadem infenſa fortuna ſecuta in Inſulam Ferdinandum, arcis enim *Iſcleæ* Præfectus, eodem quo reliqui Neapolitanorum morbo perfidiæ agitatus, in victorem Gallum propenſior, deſcendenti forte ex trireme, portas arcis occluſit: fertur, inſperato perfidiæ ſpectaculo, conſternatum prius, dein recollecta mente et ſpiritu (a deſperatis et animi conſtantia conſilio captato) paucis comitantibus, proximius portam arcis animoſe ſucceſſiſſe Ferdinandum, vt partim mandatis, partim exprobratione collatorum beneficiorum, et exinde turpis perfidiæ, partim vultus Maieſtate Præfectum flectere poſſet. Non plus tamen

apud perfidum ea valuere, quam vt data niſi conditione, arce recepturum ſe Ferdinandum promitteret, ſi nemine comitante ſolus portam ingrederetur. Accepit ille prompte conditionem, non vt diſſimulans, & exinde tacitæ offenſæ ſuſpectior, ſed vt Maieſtatis conſcius, moxque adaperta porta eſt. Tum vero in ipſo portæ ingreſſu, non ſe Regem oblitus, ea confidentia, eoque vultu ac vigore animi, diſtricto gladio in Præfectum & cuſtodem portæ impetum fecit, vt ſatellites, qui armati in ſtatione aderant, comminantis & imperantis ſimul Regis aſpectu perterriti, extemplo portam aperuerint, reliquum comitatum recepturi. Quo caſu manifeſte apparuit, animi conſtantiæ, vel (vt Jovius ait lib. II. Hiſtor.) Regum oculis, in omni fortuna, quandam ſupra humanam ineſſe vim, proditoribus autem degeneres eſſe animos, præſertim cum in ipſa perfidia deprehenduntur.



Pars Tertia.

POLITICO-MORALIUM.

I.

COnſcios ſecretorum (etiam delinquentes) non habebis acerbius, ne irati prodant ſecreta, & res miſceant.

II. Licet verum ſit, nunquam conqueraris, quod male de te loquantur homines, aut enim cum ſenſerint te offendi, peius loquentur in acerbiorem vindictam, aut denudaberis coram audientibus, de adverſariis, cum non levi ſuſpicione famæ; potius bona indulgentia fortunæ, dic, tibi ſatis amicorum, & bona de te ſentire omnes, immo in præſentia tibi detrahentium, ſinceritatem & candorem lauda, velut ignarus traductionis, vt conſequaris, quod illi ſinceri a te vocati, eſſe juſte velint, ne bonam de ſe opinionem amittant.

III. Cuique (ſed præſertim in officio degenti) minima ſui inobedientia, ſeverius

rius obſervanda, vt minus ſerio imperata, ſint in executione, quo maioribus iuſſis non ignaviter attendatur.

IV. Si quid in aliqua gravi materia difficile propoſitum, quod non ſtatim intelligas, ſcripto conſignari jube, aut prudentem miniſtrum delige, qui rem inquirat tibi ſufficienter relaturus.

V. Nimiam magnorum comitatem, ſuſpectam habe, nunquam te ille credet totum, non enim mutuo bono faciunt, verum ſuo, quatenus opera tua velut inſtrumento utantur, ſepoſituri in partem, dum cogitatum perfecerint.

VI. Nonnunquam prudenter de gravitate & de jure demittere, neceſſum putabis, quatenus aſſequaris, quod voluiſti, alloquendo prior, ſalutando, viſitando, adeundo minores, familiarius in parte colloquendo, conuictum eorum non aſpernendo, nonnulla diſſimulando. Sed hæc modice adhibebis, velut obſonia rarioris fauoris, non vt lautitia perfuſionis.

VII. Privatum otium, & exercitia tui cubiculi, ſint gravia.

VIII. Spectacula generose edita, vt sunt ferarum nobilium certamina, hastiludia, in opinionem seruiunt auctoris, velut in *Laurentio Mediceo* observatum reliquit *Paulus Jovius*, qui in populo, tum apud exteros, æstimationem sibi parauit, magnanimitate expensarum, in honestos circum se clientes, in eleemosynas, obæratorum prompta subsidia, in equestres ludos edendos, in apparatus conuiuiorum, in colendos literarum Professores, in conquirenda quæ rara alicubi videbantur, *quibus ille* (verba sunt Jovii) *ac præsertim munificentiæ auspiciis, longius famam suam extendit, quam quisquam alius æqualis, vel militarium armorum fulgore proficeret.* Et vitam *Magni Consalui*, apud eundem legas, quomodo in aula primum creuerit, dein apud milites, expensarum apparatu valuerit? omnium animos in se rapiendo, splendore pretiosæ togæ, armorum & convictus.

IX. Aliquid in tuis aut te ipso mutaturus, non uno ictu præcide, sed lenta opera, & quasi aliud agendo. Novitas enim & *insperata sedulitas* parit suspicionem.

X.

X. Patrii & antiqui moris, ac eorum, quæ populo placent, doce te esse amatorem, & imitatorem.

XI. Non propere damna, sed lente, et sæpius dolens, propius ut libenter damnet, qui cito; immo pœnam infliges malis, non ex crudelitate et sævitia puniendi, sed ex æquitate discreta, corrigendo, non tollendo. Insigne senatus consultum in gratiam damnatorum factum Romæ. *Ne decreta Patrum ante diem decimum in ærarium deferrentur, quo senatui libertas ad pœnitendum esset, & rigor interiectu temporis mitigaretur, idque vitæ spatium damnatis, ut prorogaretur* (Tacitus 3. Annal.) Hoc olim sancte in Ethnica Roma, Catholica nunc pietas, quidni plus requirat? Ante dies quindecim, in delinquentes ne decernatur, non inutilis mora sit, decretaque vt procrastinentur: Justa primo affectu, immo ab ratione, sæpe nobis videntur, quæ posterior dies arguat, si iterum decimoque inquiras hæc, illave, falsa, imposita, opinativa, repetita, in trutinam vocando, præstat nocentium pœnam differre, quam (absit præcipitanter)

ter) innocentem per errorem damnare. In quem errorem, ipſe vix non impegi decernendo, ſcribo.

XII. Nunquam ſervilis ſententiæ, auctor ſis et fautor.

XIII. Qui vrgere negligit, habere non vult, non incipiendo, ſed perſeuerando res habentur. Eo prope collimat *Tacitus: multa auſis, aliqua parte fortunam affore.*

XIV. Sera experientia compertum habeo, eos qui prudentia dictorum et conſilio valent, raro vtiles factis et exſequendo, dum ſatis habent ad rem bene gerendam apte conſuluiſſe, aut a multarum rerum conſideratione reſpectibus laborant, neque periculum ſumunt agendi, aut dum aliquid obſtat facto, agere dedignantur, quaſi impugnare veritatem irati, cuiusdam (ſi dicere licet) *omnipotentiæ modo*, totum habere volentes, non vrgendo, non inſtando. Aut denique fit occulto naturæ arcano, cum aliis recte conſulendi, aliis recte agendi, vrgendique modum dedit, ne fors aliquis ſupra humana attollatur, ſed memor ſit, humana

na neceſſario aliquid ex imperfecto habere. Hos quidem cenſeo, conſulendo vtiles, verum ad exſequendum, cordatiores alios (qui non verbis, dictisque, ſed magis loquuntur factis et rebus) adhibere oportet; ſeu (vt vulgus ait) ſub cholericos, activos, non reſpectivos, quibus ſi aliquid obſtet, non terreri, ſed impedita amouere, iterumque conari ſtudeant, non cedere ipſi rebus, ſed concedi ſibi debere rati. Et Apoſtolus eandem vrgendi neceſſitatem ſuggerit, nec tentare modo leuiter (quod ex neceſſitate recti, habendum intendimus) ſed inſtando animoſe (non tamen extra prudentiam) perſeuerare docet. *Juſta opportune argue, increpa, obſecra, in omni patientia & DOCTRINA.* Audacia et actiuitas, tum conſtantia, ſunt rectæ executioni fere parallelæ. Multi virtutem incipiendi, rari admodum finiendi, aut perficiendi, habent.

XV. Nemo fidenter rem gerere poteſt, qui non ſe maiorem credit eo, aut ſaltem parem, cum quo res intercedit, qui ſe inferiorem habet, timide aggreditur, ideoque parum ad rem proficit, in

tractatu privato, ſeu in publico, circa materias præſertim bellicas, togatas, ac vel maxime in materia legationum, et commiſſionum cum exteris.

XVI. Publicam ſemper vtilitatem & religionem obtende, ne publico vſui, vtilitatem priuatam, anteponere videare.

XVII. Etiam non veſtitos, comiter alloquaris, & reſponde, procul tamen a leuitate, & proiecta facilitate.

XVIII. Non velis videri, iocularis & dicax,

XIX. Imbecilliores ad tuam opem (ſed ex iuſto) confugientes, non deſertos patiaris, fidam enim operam præſtant, vide tamen, ne eo ſub prætextu, flagitio pollutis, liberum apud te aſylum permittas, & ex eo falſam protegendi potentiam præſumas, quæ nunc ſolum vera & glorioſa eſt, dum virtuti, non vitio patrocinatur.

XX. Pro diuinis maxime, & bono zelo certabis.

XXI. Mutaturus ſententiam, dic, vtilitati publicæ te ſtudere, non vulgi opinioni.

XXII.

XXII. Non ſapias ex ore tuo tantum, ſed boni conſilii (& dictorum) quod etiam ab alio prouenit, ſis amicus & fautor, quod eſt generoſi animi, & virtuoſæ mentis ſignum.

XXIII. Qui ſuper alienis prolatis quæſtiunculis ludunt, verborum deprehenſores curioſi, nec acquieſcunt recte dictis, ſemper aliquid requirendo, aut rem non intelligunt, aut ſunt leuiculi, aut maligni, aut contentioſi & garruli, aut genio præſumptuoſi, aut ſupra vulgi ingenium iudicio valent, aut demum ſunt ſugillatores ſtupidi. Si igitur quietus animo eſſe cupis, fuge talium colloquia & conuictum, dum enim non finiunt, ſed irritant materias, exacerbant perſonas.

XXIV. In aduerſis & deſperatis, ſubſidium ab audacia pete.

XXV. Conſanguinitas magnorum cedit in æſtimationem, ideo per te, aut tuos, eam quæres.

XXVI. Non rimeris ſecreta populi (item amicorum) dandum aliquid libertati ſentiendi & agendi.

XXVII. Facta arguantur, dicta impune

pune ſunto, neue conuiualium fabularum dicteria in crimen vocentur.

XXVIII. Parui errores non diſſimulandi, nam magnorum cauſa ſunt, *a venialibus facile itur ad mortalia.*

XXIX. Vno tempore multa ne ſuſcipias agenda, non enim perficies, & argueris incepti.

XXX. Non cogita, quomodo effugias mala, ſed quomodo ſtes fortis, & immotus contra, creſcunt ſi effugias, minuentur, dum ſubſiſtes, poſſibilius vero ea ferre, tum contemnere, quam vitare.

XXXI. Defectus aut vitia corporis, tum fortunæ, immo iacturas omnes, prudenter tege, nam læta pariunt reputationem, triſtia contemptum.

XXXII. Monſtra aliquo per virtutem facto, tuam potentiam, immo & prudentiam, vt innoteſcas, vel ſi potentiam monſtrare non potes, ſaltem impotentiam defectusque, occultare ſtudebis, occaſiones quæ detegant vitaturus, vt bonam opinionem retineas, veteri monito: *Quod non poſſumus, nolle videamur.*

XXXIII.

XXXIII. Probatiora eorum ſunt ingenia, circa res priuatim publiceque gerendas, qui cum omnia præſtare non poſſint, media bona exſequuntur. Illi vero (licet alias optimi ciues) minime probantur, quibus ſi non ſucceſſerint prima, media non arripiendo, per immoderationem animi dedignantur, rebus, ſibique ipſis irati. Fac tu potius, non quod optimum velis, ſed quod melius in defectu mediorum poſſis, accommodando te ad tempus, mores, occaſiones, prout ſe offerunt, nam optimas occaſiones exſpectando, non aſſequeris, poſſibiles vero omittes, nihil præſtaturus, pro otioſo habendus. Muſicorum artem imitari præſtat, cum ſublimes notas numeroſe, cantu aſſequi non poſſunt, octava aut quinta (vtique) voce vel tertia imitantur tonum, modo ne a recto canentium choro, & modulo deflectant, neue concentum turbent. Iudicioſi ergo viri, quæque oblata caſu, flectere ad conſilium. Verum in conſiliis capiendis, *illud plerumque nos decipit, quia non quid poſſit, ſed quid fieri debeat, aut neceſſe habemus, facile euentu-*

rum

rum credimus. Et respicimus consulendo, quod contra est, *nam potius quid possit fieri, non quid debeat? prius cogitandum.*

XXXIV. Aliena inuidia diffamare ipsi student, qui detrahentium dicta recensent, apage cum talibus præcautoribus amicis.

XXXV. Quod tibi seruit in æstimationem, potius per te fiat, quam vt alteri faciendum permittas in Republica, facere pacem, nationes componere, magnas legationes obire, grauia responsa dare, & alia.

XXXVI. Imperaturus aliquid nouum aut difficile factu, ab iis exequendum incipe, quibus maiorem tui obseruantiam inesse credis, atque metum, ne si ab audaculis primo & contumacioribus exequendum velis, atque illi primis imperatis per temeritatem resistant, etiam modestioribus, pertinaciam reluctandi ingerant. Iam secus quod a modestioribus inceptum, ad se perueniente ordine (vt iam non nouum) exsequentur, etiam qui fecerunt, in exsecutionem instantibus, ne hi posteriores obsequio videantur.

XXXVII. *Nulli te facias nimis sodalem.* *Gau-*

Gaudebis minus, sed minus dolebis. Immo turbam hominum (quoad salua gratia potes) vitabis, quia præsens, aut necesse imiteris alios, aut oderis, vtrumque autem deuitandum est, ne vel similis malis fias, quia multi sunt, neue inimicus multis, quia tui dissimiles sunt. Verum hoc supra humana ascendentis mentis, et est animi DEO se præparantis.

XXXVIII. Cum omnia possimus, sola credamus licere nobis laudanda.

XXXIX. Diu secretus delibera, ne pudori sit, frustra tentasse, cito vero deliberatum fac, ne præueniaris.

XL. Licet aliqui recti sint ciues, et pro Republica zelosi, plerumque pro impatienti rigore & immoderatione animi, curando aut exprobrando, plus nocent Reipublicæ, quam vt proficiant. Potius (opinione saltem) videantur sibi boni ciues, quam vt vitia exprobrando, conscios errorum reddas, vt scienter peccent, cum assuefacti retrahi non possint, vel dum periculorum remedium, ipsa pericula rentur, & periculosius putant in incepto, quam in peracto deprehendi. Re-

cte

cte quidam in Catone, optimo alias ciue, moderationem desiderauit; et Cicero de eodem: *Cato animo optimo vtens, ac summa fide, nocet tamen interdum Reipublicæ, dicit enim, tamquam in Platonis Politia, non tanquam in Romuli fæce sententiam.* Si igitur in ea Republica viuatur, quæ deprauata sit, inutiliter ad quæque attendere scrupulosus velis, nihil effecturus, quam vt inutili angore conficiaris, nullo fructu in publicum; ab aliis, si potes, deflectendum, alia ferenda, alia non videnda, ac potius curabis, vt quoquo modo temperes mala & errores, quam vt toto corpore, te illis opponas, nunquam suffecturus. Noli igitur Catonisare, verum sæpius remittes de rigore, immo & de potestatis Maiestate dissimulationique studebis, quod non est infamare auctoritatem regendi, sed esse prudentem, simulque bonum, parentem & filios, non herum & subditos, regendo cogitare.

XLI. *Nascentis* seditionis, tum audaciæ, patientia & modestia, magis est irritamentum, quam remedium, secus, *dum adoleuerit*, cauta & mollia, remedii loco magis succedunt.

LXII.

XLII. Prouide mature, ne populus rerum necessariarum, ac vel maxime annonæ penuria grauetur.

XLIII. Periculosos conatus, quos non potes auertere agendo, potentia, imperio, manu, vel soluere ratione, eludes commodissime tempore, differendo, de die in diem trahendo, moras nectendo, impedimenta studiose obtrudendo, vt interim impetus agendi, quoquomodo sistatur, vis hebetetur, ardor desinat, *qui nisi initio intenditur, alias minus potens. Non sis igitur æger mora, spei impatiens, periculi quam moræ patientior: Ingratum habens quod tutum, sed ex temeritate spem capiens.* Velut argute quibusdam succensuit Tacitus.

XLIV. Sis taciturnus, facias potius, quam loquaris.

XLV. Sta semper verbo, ne fidem factorum dictorumque, in posterum amittas.

XLVI. In componendis priuatim publiceque rebus, dum media non valent, extrema proficiunt, sed tamen non extra metas virtutis.

XLVII.

XLVII. Initia officii seu Magistrâtus, a magnis rebus tractandis incipe, (quo magnam exspectationem factorum facias) sed quæ in te sint perficiendo, ne arguaris.

XLVIII. *Viles plerumque, qui nimium* (nec cum grauitate) *ciuiles*; *Et viles, qui nimium faciles.*

XLIX. Monstra, te a nullo dependere.

L. Ludicris rebus et leuiusculis, ne occuperis, ne amittas auctoritatem.

LI. Interdum secedas et secretus sis, hoc enim parit exspectationem, quid pariat tuum secretum.

LII. Cum nullo velis te [vt aiunt] indomesticare, *nimia familiaritas parit contemptum*, potius fac omnia, velut primum inchoaturus, ex eo grauitatem retinebis.

LIII. Non sis præcipitans aut valde lentus agendo, illud leuitatis, hoc est ignauiæ.

LIV. Quod facis, fac semper exquisitissime, *Magis male tentata nocent, quam nihil gesta.*

LV.

LV. Non opineris, sed scias.

LVI. Magna incepta incipe a diuino sacrificio, benedictionem Dei, et in vulgus apparatum maiorem inceptorum habiturus.

LVII. Non multa fac, sed magna et notabilia.

LVIII. Tunc veram tibi inesse potentiam credes, quæ a te ipso fulta erit, non ab alio.

LIX. Potentia tuetur auctoritatem, ideo quærenda in munita domo et milite.

LX. Potentia rectius beneficio ostentatur, quam maleficio, beneficia Regia manus, flagitium coloni vnius præstare potest.

LXI. Virorum literatorum et æstimatorum, tam domi quam ab externo, per literas (aut quouis alio modo) notitiam quære, interdum modicis munusculis, per occasionem eos deuincies, quatenus nomen tuum celebrent.

LXII. Non solum ad mores tuos aduertas, sed etiam tuorum, vt honesti sint, grauitatem redoleant, non fastum, immo per omnia modestiam.

H LXIII.

LXIII. Male de te loquentes (immo peſſime tibi volentes) vinces humanitate et affabilitate, velut neſcius traductionis, potius, quam vt te omnino auertas.

LXIV. Non in ciuitate, ſed prope ciuitatem manebis, vt omnibus conueniendi tui neceſſitas ſit, partim vt commodius honeſto vtaris receſſu, (ſine cenſore) dum velis.

LXV. Sine oſtentatione monſtra, quæ in laudem tibi ſeruiunt, apte obſeruatum reliquit Hiſtoricus in illo Romanorum, *Mutianus, quæ dixerat feceratque, arte quadam oſtentator.* Quæ venuſtatem rebus non demunt, ſed potius parant, ſi ante accomodentur, familiariter fidenterque (ſine oſtentatione affectata) agentibus, ſecus faciunt perſonæ theatrales et mutuatæ, quæ cum rectum aliquid in præſens egerint, exuunt deinde ſcenam, cito ad naturam rediturae. Oſtentatio igitur modica pro tempore, ſi forte vitium ſit in *Ethicis*, non certe in *Politicis*, nam famæ parandæ et auctoritati conducit, ſi cum venuſtate fiat; Poſtquam aliquis familiariter (velut per incuriam) oſtentauerit,

quod in ſui laudem ſeruit, deinde in iocos, et nonnullos erga ſeipſum cenſuras, arte declinet, nam vere, modeſtiæ titulum affectando nimium per omnia, laudataque neglectim intermittendo, maiore damno occultamus, quod in æſtimationem noſtri ſeruit, cum non modica famæ parandæ iactura. Nec ſemper ſuccedat (apud eos præſertim, quibus per exteriora viros metiri & æſtimare mos eſt, velut Samſonis olim, in capitis capillo vires, his effuſiore in barba, auctoritatem magnorum requirentibus) quod Iulio Agricolæ; (apud Tacit.) *ne notabilis celebritate & frequentia occurrentium eſſet vitato amicorum officio, noctu in vrbem venit, cultu modicus, ſermone facilis vno aut altero clientum comitatus, adeo, vt plerumque quibus magnos viros per ambitionem æſtimare mos eſt, viſo aſpectoque illo, quærerent famam pauci interpretarentur.* Et Otho parandæ militari auræ, ante ſigna pedeſter, incomptus, *famæque diſſimilis.* Verum conuenientiſſime hic ponatur, quod Gramondus (Hiſtor. Gall. lib. I.) ait: *Principi Sueſſionio a plerisque pro næuo data, fui æ-*

ſtimatio, at leuis hic næuus viro principi, qui ſi dotibus animi valet, cur diffiteatur, naturæ donum? Principibus, conſcientia virtutis propriæ, nunquam vitio vertitur, quippe raro in res magnas via eſt, per ſui deſpectum; Multum intereſt Principem inter & priuatum, ille ad famam omnia dirigit, modicis, quod vitium huic, ſæpe illi virtus; quod homini priuato ſuperbia, Principi magnanimitas eſt.

LXVI. Legationis ſplendore, paratur reputatio apud exteros, magis tamen legatio ponderatur a prudentia viri.

LXVII. Impertinentes tuas actiones amputabis, vt ſeriis magis attendatur.

LXVIII. Nouarum machinarum bellicarum, et aliarum ſtructurarum adinuentio, parit æſtimationem.

LXIX. Non congrediaris cum eo ſæpius, quem maiorem te credis, ne auctoritas tua ex comparatione vileſcat.

LXX. Academiarum fundationes, aut quod publico ſeruit vſui, parandæ ſeruit æſtimationi.

LXXI. Eccleſiæ proceres, tibi deuinctos habe, nulla enim re potentius, capiuntur

untur aut habentur homines, quam religione, prouocabis vero amicitiam, iura & ordinem tuendo, cum iis conuerſando, Eleemoſynam largiendo, incepturus vero magnum aliquid in Republica, cura primo, Epiſcopum aliquem (e potentioribus) partium habeas fautorem.

LXXII. Eos nonnunquam negligentius curari oportet, qui tua cura ſubſiſtunt, ſeu ſint filii, ſeu clientes, domeſtici, ſeu milites, dum enim ad tuam curam reſpiciant, negligentes ſibi redduntur & amittunt induſtriam. Neceſſarium igitur maiori ex parte ſuæ curæ vt relinquantur, diſcantque ſibi in parte prouidere, & acuant induſtriam, alienæ curæ non in tantum ſe committentes, quin plus a ſua opera exſpectent.

LXXIII. Nulla munera aut officia, ignaro te diſtribuantur, ne alteri, ſed tibi beneficium debeatur.

LXXIV. Aliquis vir bonus nobis diligendus, pro exemplari virtutis, ante oculos habendus, imitando.

LXXV. Principi viro, honeſtius puta offendiſſe, quam odiſſe, hoc mollis ac in

in se ipsum sævientis animi, illud vtique fortioris altiorisque mentis indicium, malle sibi vtique ex alio, quam de se iniuriam vindicare, caue tamen vindictam.

LXXVI. Aut rem non tentare oportet, aut si tentas, omnibus viribus quod instituisti, coneris perficere, nam bis ad eundem lapidem offendi periculosum, & contemptui obnoxium reddit, dum argueris impotentiæ, & inconsiderate incepti, nisi aliàs in cursu operis aduertas, te non rectum opus cœpisse, tunc vero desistere, vtile & gloriosum tibi putabis.

LXXVII. Excelsi animi est, nunquam in acerbitates verborum deflectere, factis se vindicabit vir fortis (pro virtute) non verbis.

LXXVIII. Ad retinendam auctoritatem valet, si habeas penes te viros æstimatos, doctrina & rerum gerendarum dexteritate valentes. *Et qui in vulgus grati.*

LXXIX. Nihil impossibile pete aut impera, neque impossibilis, (exequendo) legis auctor sis, cum impossibilitas factum excludat, posse non satisfieri legi, docet,

vt

vt primum lex, dein auctor legis contemnatur. Falluntur ideo, qui paruis delictis, maximas pœnas statuunt, aut prohibent fieri, quod difficillime vitari, aut iubent, quod impossibile fieri potest, nisi in exsequenda lege, in tantum sint (cum rigore) scrupulosi puniendo, atque in ferenda lege, fuere vrgendo: Nam si vnius pœnam intermiseris, reliqui intermitti sperabunt, aut (pro multitudine delinquentium & consensu) immunitatem obtinebunt. Possibilia ideo & tolerabilia petenda, vetanda, iubenda omni in tractatu, œconomico, bellico, togato, facilior consensus in obsequium, penes possibilitatem.

LXXX. Nemo perfectam habere potest auctoritatem in Republica, nisi qui togata simul & bellica consilia probe tractat, in curia & in castris, suarum partium aliquos habiturus, ab altero suadendo, ab altero vrgendo, & modice territando potens, quarum duarum rerum maximus in Republica respectus, etiamsi aliquis non terreat, verum quia pro potentia potest, vim necessitatis suadendo audienti adfert.

LXXXI.

LXXXI *Ingenia vniuerſalia*, raræ gentes, rara pariunt ſecula; rari ideo ſunt, quos ſuſpiciat orbis, aut ſi ſunt, pro magnis habet, nam multum in gentibus poſſunt; vti habuit Alcibiadem & alios Græcia: Scipionem, Pompeium, Julium Cæſarem Roma; Iam ætate poſteriori Hiſpania, Magnum Conſalvum; Polonia *Joannem Tarnovskium & Joannem Zamoyskium*, itidem magnos, vel certe ſi toga bello que facta penderes, vere Conſalvo maiores (ſed prout noſtra ſeptentrionalia, ab oculis altioris Europæ, etiam a ſcientia tum admiratione remota, præſertim cum noſtros ſcriptores, pro negligentia aut pro modeſtia, talia orbi propalare ad poſteritatis admirationem piget) dicendo facundos, ſimulque agendo promptos & potentes, priuatim bonos facultatum œconomos, tamen non ſuſpenſo ſupercilio lautos, liberales, ciuiles, & extra leuitatem comes, cum grauitate amoenos, toga & ſago per omnia rerum momenta (*incipiendo & finiendo*) expeditos, nec leui ex reſpectu de ſententia mobiles, publica priuatis anteponentes; *ſuorum æque ac aliorum recte conſultorum, non ſuperbos ſectatores*, amicitias parare ſcientes, domi & foris in omni apparatu & conuictu magnificos ſententia in toga graves, ſimul præterita, inſtantia, futura, conſilio penſantes, fortes in bello Duces, acquirendo & retinendo, aut cunctando vincere, aut dum ex re oportuit, committere prælia promptos, per ſtatarias pugnas, velitationes, campo & expugnandis ex arte vrbibus expeditos, ad commoda ex hoſtium erroribus capienda vigilantes, militaris diſciplinæ ſeueros exactores, externorum ſocietates parare gnaros, grauitatem in omni actione ſeruare ſcientes, & ſimul (vt ait ille) *comitate & alloquiis officia provocantes*. Patriæ morum & inſtitutorum tenaces, quod vero ſummum & maximum, actione non inſolentes, ſed ciues pacatos, non aſpernantes æqualitatis, iuſtos, pios, zeloſos Diuinorum cultores, ſimul & propugnatores, demum (Velleii dicam verbis) viros in tantum laudandos, in quantum virtus intelligi poteſt. Qui in vita ſua niſi laudandum, aut fecerunt, aut dixerunt, aut ſenſerunt. Quisquis alias te magnum venditas, ſi tibi vnicum horum deeſt, extra vniuer-

vniuerſale ingenium, & extra magnorum famam poſitus, aliqua in parte virtutis politicæ poteris eſſe perfectus, ſed non vniuerſim agendo magnus. Vnius partis in virtute, non omnium.

LXXXII. Nonnulla ſunt ingenia, quæ niſi in magnis negotiis ſe explicare poſſunt, & potenter agunt, in paruis (dum contemnunt, vel anguſtos limites agendi habent) velut victa, & nihil valentia impingunt, implicantur, vt ſæpe, cum magna fecerint alias, in paruis arguantur, cum æmulantur naturam magnorum nauigiorum, quæ ſuper altum mare triumphant, & fluctus contemnunt, in portu aut in lacunis, velut nihil profutura, hærent, vt a paruis Myoparonibus prænauigantibus illudantur, illudendi ipſi, niſi eſſent in paruo, alias agere impotentes. Immo communiter fit, vt parua negotia, magnis ingeniis plus difficultatis adferant, confundendo verius ſua paruitate, quam vt ſupra vires ſint, dum ſunt ſimilia, tenſis ferarum retibus, quæ Tigrides Leonesque capiunt, non quia ligant, ſed quia implicant, & molliter involvunt, impediendo verius, quam vinciendo. Ad

dam

dam adhuc; Iudicioſos viros, breuiloquio plerumque & modeſtia gaudere, vt audaculis ſciolisque (dum in conſulendo, multa loquacitate obſtrepunt affectate, & ſuffurata apud vulgus Principemque auctoritate ſubſtruuntur) cedere quodammodo, velut inferiores aut inſcii videantur, nam ſunt *decernendo* (ſeu aſſerendo, vel cenſendo) quam *disquirendo aptiores*, & pondus rei penſant, non ſonum, ratiocinationum ſuperfluarum ſunt nauſeatores, nec in mediis dubiorum hærere amant, cum recti iudicii indulgentia, ſine flexuoſis ſinuoſisque indaginibus, ſcopum ipſum rerum, prompte probeque vident, vel vt clarius dicam, magis *poſitiuo* & practico, quam *ſcholaſtico* aut ſpeculatiuo ſenſu abundantes.

LXXXIII. Nec illa ingenia omittenda, quæ tum niſi potenter, zeloſe, aut ſecus leui paſſu rem aggrediuntur & agunt, prout irritantur vel non, aut priuatus reſpectus illis adeſt, alias tentant modo leuiter, dein negligunt, dum euenit, velut vrſis, quibus niſi exagitatis, maxima vis adeſt. Exinde ſic agere, non eſt ex virtute,

ſed

ſed magis pro impetu, pro affectu & pro animi paſſione, prout in nobis hæc aut illa irritatur, & inualeſcit. Talia ingenia commodiſſime maligna vocaueris, aut priuatipeta, aut paſſionata, aut communiore titulo, *Affectata.*

LXXXIV. Miſce vt partim quæras amicitiam, partim tua quæratur, vt acquirere eam, non emendicare, aut profuſa ſubmiſſione vel cura, emercari videare; Ingrediaris potius, non irruas in amicitiam, affectate.

LXXXV. Si tibi amicus aut cliens in vno non ſatisfecit, aut ad palatum non acceſſit, potius ſimiles occaſiones vita, non vero ſtatim per omnia deſere aut abiice, in rem enim aliam, poterit eſſe vtilis, nam perfectæ virtutis hominem, quo in orbe quæres aut inuenias? ad rem meam Diuus ſcriptor. *Non indignabundus feras aliorum defectus, quia & tu multa habes, quæ ab aliis oportet tolerari, ſi non potes talem te facere, qualem vis, quomodo poteris alium habere ad tuum beneplacitum? libenter habemus alios perfectos, & tamen proprios non emendamus defectus, volumus,* quod

quod alii ſtricte corrigantur, ipſi tamen corrigi nolumus, diſplicet larga aliorum licentia, nobis tamen nolumus negari, quod petimus, alios reſtingui per ſtatuta volumus, & ipſi nullatenus patimur cohiberi. Omnia potius omnibus parces, tibi nihil.

LXXXVI. Neminem lauda aut vitupera abſentem, peiora enim illi de te narrabuntur, immo non fac in præſentia, laudatum ſuperbum reddes, vituperatum aut reprehenſum, per rigorem amittes amicum, cum te cenſorem magis agnoſcet, quam familiarem.

LXXXVII. Sed tamen vituperatum defende magis, quam vt aſſentiaris, de ſe quisque exſpectaturus, quod facis de aliis in præſentia.

LXXXVIII. Alloquendo, quærendo, conſilium petendo lentus ſis, nec quaſi ſedulus, ne omnia tribuiſſe amico videare, & contemnaris, quaſi nihil per te valiturus, potius quandoque in tempus ſepone, non tamen diu neglige in pretium amicitiæ.

LXXXIX. Reprehendendum amicum priuatim admone honeſte, ſæpius vero, quaſi

quaſi neſcius, diſſimula, pro amicitiæ libertate.

XC. Partim locum ſuperiorem da, partim tibi cape, parem te teneas, non inferiorem, aut ſupra.

XCI. Iocos vita, qui leuitatem pariunt; ſed tamen affabilitate fouetur amicitia. Falluntur, qui ſub nomine affabilitatis, licentioſis dicteriis, *æquiuocationibus moroſis*, tum verborum affectatis argutiis, facetorum, iucundorumque famam parare ſibi cupiunt, dum potius ſcurrarum, cauillatorumque titulum merentur, DEUMque offendunt: vtendum erit iocis, ſed qui non perpetui ſint, verum per incuriam velut attracti, condimenta ſermonis & obſonia, non perpetuus ad nauſeam paſtus, ne vice ſolatii, faſtidium pariant, præſertim dum in iocando, aliqua pars odio digna habetur. Iocus ſit, ſine ſcommate, ſine alterius damno, ſine dolore, ſine leuitate, ſecus non iocus erit, verum exacerbatio contentioque ſtudioſa.

XCII. Si offenſus ſis, reprehende, aut parum te auerte, poſt obiice ſponte occaſi-

occaſionem amicitiæ, & facilitatem, aut per alium inſinua, ne difficultate reconciliandi, auertas amicum, & amicitiam ſuffoces.

XCIII. Familiaribus aut intimis alicuius, per te aut tuos innoteſce, da bona verba coram, de eo, quem amicum credis.

XCIV. Iuua omnimode afflictum amicum, vt bene illi tecum eſſe videare.

XCV. Plures amicos quære, doce te plures habere poſſe, dum velis, neque tibi ſatis ſit, vni alligari.

XCVI. Cura vt maius pretium in amico ſit tuæ amicitiæ, quam in te amici, & monſtra dum potes iuuando, conſulendo, plus illi tecum intereſſe, quam tibi cum illo.

XCVII. Non admitte ſuperbam cenſuram amici, ne ſuperiorem agnoſcas, etiam ipſe noli cenſurare, nimius rigor ſuffocat, libertas ſentiendi, faciendique fouet amicitiam.

XCVIII. Potius apertum inimicum malis, quam diſſimulanter amicum, ab eo prouidere potes, ab hoc vix caueas, ſed hoc

hoc inter pares: vere dictum, *Arma aperta palam vites, fraus & dolus occulta, eoque ineuitabilia.* Malis tamen vtique, alteri esse dissimulanter amicus, quam aperte hostis, specie amicitiæ, multis superior esse potes, & iniurias illatas, honesto prætextu atque occasione coërcere, (sed intra metas virtutis) aperta hostilitas similem ab aduerso prouocat, plerumque studio præueniendi, periculosam.

XCIX. Caue ne in quenquam conferas beneficium, quod cum alterius iniuria coniunctum, non enim taliter merebe/ ris de illius amicitia, quam huius prouocabis in te odium.

C. Nunquam [quoad tute & prudenter poteris] contemptum tui donabis, etiam amicissimo, statim responde, vanum ea in parte *discretionis nomen*, leuior iactura amicitiæ, quam existimationis, illa reparatur, hæc nunquam, amissa, sed tamen fac, modice reprehendendo iniuriam illatam, non vero acerbius vindicando.

CI. Non vero ad quamlibet iniuriam amici emouearis, quæ per inanimaduertentiam illata, eo casu illatam quasi non intelli-

intelligere debes, scio quidem, moderationem istam animi, non omnibus esse probatam, qui præsertim putant, nullam iniuriam sine sensu transmittendam, metu ne *si veterem iniuriam feras, inuites nouam*, verum tales, cum reddere formidabiles se cupiunt, hoc simul efficiunt, vt nemo cum illis habere commercium velit, cum enim labi, prona gens mortales simus, & subinde affectu, seu incogitantia abripiamur, quisque metu offensæ, istos odii tam properos tenacesque fugiet, ceu bestias feroces, solitudini relinquens suæ. Sed tamen iniurias per petulantiam insultandoque factas; extemplo cum fiunt, coërcendas puto, non vltionis studio, sed castigando, vt in posterum modestius in te, & in alios se gerant, neque in te ipsum postea eo facilius peccetur, quasi ex facili omnia toleraturum.

102. Nunquam amico aut inimico (quod loco magni consilii habe) aliquid de te acerbius dictum factumque exprobra, sed quasi nescias.

103. In euitandis mutuis iniuriis, aut retorquendis acerbitatibus, imitere prudentes digladiatores, qui concurrendo, non ſemper oppoſitu armorum, aduerſum ictum retundere opus habent, ſed apte corpus ſuum in partem declinando, aut humiliando, aut contrahendo, vulneri ſubtrahunt & vitant, vt illud ſuæ fortitudini, ſic hoc non decori, ſed arti tribuendo. Tu quoque haud prudenter facias, ſi cuique acerbitati, auctoritatem opponere, & in periculum dare velis, potius te ab iniuria recipienda declinabis, aut receptam velut neſciens, aut (cedendo fortunæ) medius inter diſſimulantem, humiliter feres, condonando fragilitati, aut antiquæ amicitiæ, aut inanimaduertentiæ, aut tempori; aut occaſioni, immo ipſe tibi, ne, dum retundere vis, nec tamen poſſis, eo maius vilipendium in poſterum patiaris. Nonnullorum vero ſociorum eſt natura, quos velut duros ſilices, molli ſubiecto puluillo comminuas, & in rem, prout velis, aptes, diutius exceptos, haud contundas, ſic

ſic illos, facilius nonnunquam humanitate, quam oppoſitu auſteræ grauitatis deuincias, prout alterutrum ſuccedit, in rem dextre accommodaturus. Aptiſſime in rem (ſparſim) Seneca. *Aut potentior te, aut impotentior læſit? ſi imbecillior? parce illi, ſi potentior, tibi: prudentiori cedamus, ſtultiori remittamus. Amicus eſt? fecit quod voluit: inimicus? fecit quod debuit, multos abſoluemus, ſi cœperimus ante iudicare quam iraſci. Nonnulli ſe ipſos volentes inquietant, dum interpretatione quædam eo perducunt, vt videantur eſſe iniuriæ, cum non ſint, immo quoſdam dum vana concitauerint, iraſcendo perſeuerant, & cauſas offenſarum ſponte a longe petunt* (immo imponunt) *ne videantur cœpiſſe ſine cauſa. Multæ nos iniuriæ tranſeunt, ex quibus pleraſque non accepit, qui neſcit. Non vis eſſe iracundus, non ſis curioſus.*

104. Meliorem eſſe ſurreptorem adminiſtrum, modo prudentem dextrumque agendo, quam inertem, licet alias fidelem; potiora vt auferat, ruborem vtique ille habet, hic totum peſſundat per inertiam. Rem certam dico ab experientia.

105. Præmiis retinetur amicitia, verum præmia bis sunt dulcia, dum promittuntur, aut cum dantur; promitte tu prius, postea interiecto tempore dare poteris, bene ait ille: *Diu desiderata, dulcius obtinentur, cito data vilescunt.*

106. Pueris feminisve quæstus, viris actio conuenit, aut saltem dissimulatio.

107. Prout ingenium nostrum, in hanc aut illam, recti prauamque partem naturaliter inclinat, hæc aut illa exempla, tum consilia, promptius sequimur, aut fugimus, vt velut lupum auribus tenere, tum aquæ characteres imprimi contendas; sic quosdam in hoc illudque inducere contra genium naturalem, frustra enitaris, flectuntur in tempus, sed non transferuntur, nec franguntur, dum velut in scena, mutuatam pro tempore personam, diu sustinere non possunt, cito ad naturam redituri, *vulpem pilum mutare non mores.* Consilia *magnanimitatis*, generosæque mentis conatus, si *meticulosis* suggeras, promptius illi (dum timent) exempla dissimulationis, in speciem cautorum &

& modestiæ amplectuntur. *Parcis*, tenacibusque, munificentiam, vtiles erogationes, splendidos pro auctoritate apparatus, suadere frustra studeas, sed rationes turpis parsimoniæ, sub velamine inutilis prodigalitatis, & decoctionis bonorum, promptius illi sequuntur. Deinde *trucibus ingeniis Clementiam*, humanioraque quid proponas frustra? cum illi in seueritatem nimiam, importunumque rigorem, sub imagine justitiæ, & correctionis malorum, proniores. *Lenta*, cautaque dein *temerariis*, suggeras paruo effectu, dum in argumentum audaciæ conconstantisque animi, incaute, præcipitanter, inconsiderate, periculis se committunt, male cœptis persistunt, *errant, non prouident.* Avaris quæstuosisque ingeniis, *recti honestique legem* (vt ad famam præcipua rerum dirigant) non persuadeas, cum sub velo ciuilis accepti, licitorum, tum necessitatis in illicitos quæstus deuoluuntur, cum decipiunt ipsi, non deceptos se tunc aiunt, astutiam (ad iniuriam virtutis) prudentiam agendi &

cautionem vocantes, vel demum prout natura hominum iu hanc illamque virtutem aut vitia, pronior eſt, fácilius aut ſecus difficulter inducimur & ſuademur. (*Vide notationes meas Politicas puncto XII.*)

108. Circumſpecti cautique viri per omnia, magnis rebus gerendis valent, nam lenta & prouida, ſummæ rei proficiunt, verum negotiis minoribus, aptiores, qui nimia conſideratione non laborant, quæ ſæpius obeſt, aliqua enim impetu, & ſorte promptius habentur, nec (ſi hoc illudve curioſe circumſpicias) quod in rem eſt, aſſequare. Dubitatio de euentu (ex nimia conſideratione) plerumque animum inuoluere amat, opinione periculi, & diffidere facit, illud modo conſiderandum, ne quod intendis, contra rationem ſit, contra formam recti & contra conſcientiam.

109. Dandæ conſolationis, tum componendorum animorum, non melior ratio, quam fateri juſtum patientis (ſit animi, aut fortunæ, ſit corporis) dolorem, dein

dein adhibere dextre lenimenta ex caſu humanorum, & inſtabilitate fortunæ, quæ eodem paſſu vadere neſcit, eſſe cauſas doloris, nec deeſſe remedii, tum ſolatii. Animi dolorem interpretatione quandoque maiorem reddi, corporis morbos tum fortunæ caſus, augeri longa imaginatione, aut nonnunquam ſola opinione, verum ad melius conſilium, præſertim vero ad *Diuina*, & noſtri iuſtam pro demerito pœnam, ſæpe reuocandus animus. Qui ſecus componendis acerbitatibus aut doloribus, remedium putant, negare iuſtam cauſam doloris, falluntur; nam ſic directe pugnant in affectum patientis, velut mollitiei aut iudicii eum arguendo, nec ideo ſanant morbum, verum, (contraueniendo) in maius irritant animum. Potius ingenue fatendum, *iuſtam doloris tum offenſæ ſubeſſe cauſam*, ſed modum habendum. Atque ſic eſt recte condoluiſſe, ſimulque probum ſe amicum profiteri velle, dum eadem lance dolores, qua ille ipſe qui dolet (nec leuiter contemptimque) penſamus. Conceden-


cedendum nonnihil ægritudini animi, & præconceptæ opinioni, vt iuuiſſe infirmitatem dolentis, compatiendo, non impugnaſſe ſtudiose, immo condemnare (*dum non pro dolentis parte loquimur*) videamur. Laudo peritiam aut argutiam, medici cujuſdam Poloni, cum in ægrum nobilem incidiſſet, diutino capitis dolore agitatum, ex eoque inſana imaginatione profectum vt ſonum campanæ, dein campanam in cerebro ſibi enatam obfirmatus animo aſſeueraret, negantibus poſſibilitatem morbi aliis medicorum, & ægrum inſaniæ arguentibus, corporis ſimul & animi dolorem auxerunt: verum ille argutior, reliquis abire iuſſis, velut medendi inertiam exprobraturus, indignabundus, nouitati morbi longa oratione condoluit, promptitudinem curandi ſimul offerens. Interim æger, aſſentiri medico, prehenſare ſalutis patronum, ſimul fidenter, animum & corpus (ſuperaddita pingui ſatis curationis mercede) offerre curandum. Exinde medicus, opinioni patientis nonnihil indulgens, comparata

parata ſubtiliſſimo artificio modica nola, vomitorias potiones ordinauit, tum vomentis caput, in ſpeciem compatientis ſuſtentans, ſuppoſita pelui nolam manu aptiſſimi occultatam, cum ſonitu, cadere fecit, vomitu velut è cerebro prouocatam, vt imaginationis inſolentiam ſimul & morbum, nouæ artis commento, demeret ægrotanti. *Sæpe dolemus aut offendimur, quia offendi nos putamus.*

110. In omni actione dubia, mauis in eam partem peccare, quæ vtique corrigibilis, quam quæ corrigi neutiquam poteſt, aut ſaltem in eam, quæ minus damni, dubiique habet. Vetus dictum, *Inter duo mala minus eligendum.*

111. Quæ non potes tuto conſeruare aut aſſequi, licitis artibus contentionis, litigii, vel fortioris manus, interpoſitis dextre amicis & agendi auctoritate, adipiſci conaberis, meditationis, & ſecuræ, honeſtæque pacis artibus; deinde protractione, diſſimulatione, meliore occaſione, & (res ſenſim emolliendo; perficies in melius, mora, vel ſaltem adlaborabis, vt in

maius nocendi, media, & poteſtatem, alteri parti quomodo prior auferas, audax, cautus & prudens. Artibus pacis, rem dum aggrederis, ſemper habes in poteſtate, ad artes rixarum bellique, vt pro commoditate (dum velis) recurras, ſecus in contentionis campum, dum temere te dederis, extra poteſtatem iam erit (ſed niſi pro arbitrio fortunæ) pax & quies vt ſtatuatur, æris profuſio, periculaque vt vitentur. Per omnia igitur prima ſit tibi artium mediationis, (quoad ſuperſunt) *Pacis* id eſt cura, rixa, partiumque colliſio, ſemper ſint vltima, & ex ſumma neceſſitate. *Velut in militaribus meis, quæ propediem fero, artes pacis, bellique, fuſius dabuntur.*



Pars

Pars Quarta.

POLITICO-MORALIUM.

I.

NUnquam proba vires, & armorum exercitia, etiam laceſſitus non exerce, videaris tamen exercitatus, ad retinendam opinionem ſciræ dexteritatis.

2. Non verbo contende aut diſputa, ſed quod ſentis, ſine affectu narra.

3. Cum iis non contende, neque moue litem, quibus potentia impar es.

4. Ciceronis præcepto. *Amicitiæ quæ non placent, diſſuendæ magis quam diſcindendæ*, quaſi dictum velit, vt lente ſeponas amicitiam, & ab alia diſſueſcas, quam vt contemptim abiicias, illo enim modo, ſaltem ceſſabit amicitia, hoc vero parabitur inimicitia, ex contemptu ſui, per præcipitem auerſionem; Non ſtatim igitur mutabis ſtylum amicitiæ, *vt ſaltem familiaritates ſint ſepoſitæ, non inimicitiæ ſuſceptæ.*

5. Si

5. Si vera alicui loqueris, dic neque te pro conſcientia dicere aliter, neque illum aliter facere poſſe, obtende pericula, ni fiat, malle te veritate (cum ſalute amici,) diſplicere, quam placere aſſentatione cum periculo; libertatem interim ſequendi (velit nolitve) propone.

6. Non ſtatim petitis aut interceſſioni amici annue, etiam aſſenſurus, deliberaturum te ai, ne ille ſibi totum te vendicet, & facilitate amittas auctoritatem, aut dependentiam (vt aiunt) agnoſcas, gratius item venit beneficium a deliberante, quaſi non a leuitate, profectum, ſed a ratione.

7. Non vnum amicum in conſilium voca, ſed plures, ne vni tribuiſſe & te credidiſſe totum (quo ſuperbum reddas) videare, aliquando ſtudio præteri.

8. Talia loquere coram amico et cliente, quæ diuulgata, pudorem aut metum non incutiant, vere ait ille. *Ita amicum habeas, vt fieri inimicum putes.*

9. Nunquam totalem tui fiduciam habeas, ſed verearis potius, in ſecunda fortuna

tuna

tuna amicos parabis, in aduerſis pro ſubſidio habiturus.

10. Nunquam te aliter amico vni credes, vt partem ſecuritatis, aliunde tibi non relinquas.

11. Multis ex ſimilitudine morum eſt amicitia, ſed hanc circa honeſta quæres.

12. Aduerſarii aut hoſtis, diuerſa ſunt nomina. *Aduerſarius* vitio noſtro nobis aduerſatur. *Hoſtis ſuo*, vt aduerſarium vites, te corrige, vt hoſtem amoueas, illum corripi oportet.

13. Pileo et comitate, multi parantur amici, et facilitate aditus, *vili emitur, qui pileo & familiari verbo emitur*. Mauritii Auriaci Principis dictum.

14. Facetiis abſtine, quæ vbi multum ex vero traxerunt; acrem ſui memoriam apud amicum relinquunt, ſed tamen in ſermone, nimium intenſa verborum ſeueritas, aut triſte ſupercilium vitandum, quod loco grauitatis, nomen moroſitatis aut ſuperbiæ parit, niſi ciuili honeſtaque comitate vtaris.

15. Non omnium quandoque rerum

ſcien-

ſcientem te ſimula, agendo otioſo ſimillimus.

16. Antequam aliquid promittas, cogita impedimenta, quæ occurrere posſint, an difficile ſit præſtatu? an ſine tui alteriuſve faſtidio fiat? ne poſt pœniteat promiſſi.

17. Non ſis properans in delectu amicorum, nec ſtatim ac affectus ducit, intimum pectus aperi, lucteris cum affectu volenti, vide prius, an virtuoſus, an conſtans, an taciturnus ſit, *an tuus, non tuæ fortunæ amicus.* Sunt quidam ſimulatæ virtutis (quæ omni malitia deterior) facie non animo boni, *habitu & ore* (Taciti vtar verbis) *ad exprimendum imaginem honeſti, exerciti, cæterum animo perfidioſi, & ſubdoli, avaritiam & libidinem occultantes.* Politice et ingenioſe nequam; *qui eo prodigalius amicitiam obligant, quo magis violant*, quærunt amicitiam, ſed quam ad ſuum commodum referant, quæ alias inter bonos, reciproca probatur, nihil debere ſe aliis, ſed ex ſuperbia deberi ſibi totum rati, colloquuntur familiarius, ſed venena tantum exſugunt verborum,

borum, conuerſantur; ſed qui niſi reprehendendum vident, cum totum damnare non poſſunt, nævum ſtudioſe quærunt, aut per malitiam adſtruunt bonorum factorum cæci aut ob inuioſiſſimi, detrahendi tantum memores, nunquam minus amici, quam cum amicitiam oſtentant, ſub ſpecie amicitiæ, quemque facile inuadentes, et quibus, ſi reſurgat, exemplar bonæ virtutis *Cato*, non ſe tuto credat. Quidni tales fugias? aut ſaltem probes prius, niſi ſapiant venena melle vncta, vt minore damno feras titulum ſolitarii, melancholici, vel (ſi familiaritatem vites) faſtuoſi, quam vt familiare et intimum pectus aperire velis, tamen a nota vitantis.

18. Aliorum exemplo metiaris amicum, ſi alteri fidus erat, ſi non decepit, ſi aliorum famam recte coram tractat, prope eſt, vt idem tecum ſit.

19 Parum Melancholici, in amicitiam deligendi, modica Melancholia propius conſtantiam eſt, effuſa lætitia prope leuitatem; ſed plerumque falſo nomine Melancho-

lancholiam nuncupamus, dum potius grauitas morum vocanda, aut ſi licet illa, prudentibus viris, per honeſtas actiones pellere illam, in poteſtate ſemper eſt, præſertim dum adhibentur in amœnitatem conuictus, amici et faceti conuictu clientes, verba et ſermocinationes, in materia graui, ſeu circa priuata, conuiuæ, muſica, latrunculorum et chartarum luſus, hiſtriones ſcenici, deambulatio nemorum, hortorum, aut vectatio, balnea, nauigatio, venatio, equitatio, haſtiludia, iaculationes arcuum, ſcloporum, tormentorum ad metam collimatio, res œconomica, architectura palatiorum et fortalitiorum, tum modicus ſeceſſus, *cauſa pietatis*, vel prætextu expediendorum negotiorum publicorum, in quam rem ſeruiunt domorum abdita triclinia, et receſſus, demum lectio librorum, præſertim vero Hiſtoriæ, ſi ad geographicas tabulas reducatur, tum Geometria practica, diſtrahunt otioſum tempus, nec leviter recreant animum. Inſuper (idque maximum) temporis iuſta diuiſio, in ſingula

ſingula negotia, tam ſeria, quam quæ ad amœnitatem conuictus, fallunt diem, & melancholiam pellunt.

20. Qui neceſſitate ad amicitiam tuam compulſi, ab aliis repulſi, aut a te commoda ſperant, illi haud durabiles in amicitia, vide ergo, vt ſponte amici fiant, non ab alio reſpectu, ſed tamen *occaſio* nobis ſæpe parat amicos.

21. Pares tibi in moribus quæres amicos, ſi ſapis. Ex diſſimilitudine morum non ſolum disiungitur amicitia, ſed noua paratur offenſa; Quid cum amico conuenias? Si tu melancholicus, ille hilaris, tu domeſticus vel ſolitarius, aut affectata grauitate ſtoicus, ille liberalior, publicam lucem amans, tu de libris, ille de equo, arcu, bello loquens, dum veretur quisque, ne multa ingrata, triſtia minusque popularia, aut neceſſe ferenda in te, aut imitanda ſint, igitur penitius (& ſine complacentia) naturam reuolue prius; vere definit amicitiam ille, *vt ſit mutua ac beneuola animorum ſibi ſimilium, in bono conſenſio.* Raros exinde

 videas

videas in orbe veros *amicos*, licet multos habeant ad conuictum *Sodales*.

22. Si in familiaritatem incurrant homines audaculi, verbo & ioco impetuoſi, ac prope importunitatem, fere eandem faciem indue, iocum ioco ſolue, media tamen cum grauitate, & acceptam acerbitatem diſſimula, vitaturus, poſthæc congreſſum (verum procul a nota vitantis) nulla enim re magis in leuitatem incurres, quam a talium familiaritate ſociorum.

23. Si in magiſtratu tibi poſito, moroſi aut importuni allocutores occurrant, quærulando, petendo, multa garriendo, vtique non acerbe, loquentes excipies, ſed modeſte (moroſitatem eludendo) reſpondebis, rem eſſe tanti momenti, quæ in aliud tempus differatur, commodius audienda, noſtri partem interim, cæteris quoque audiendis deberi. Abſit vero, vt aliquem effuſis pollicitationibus trahas, vel ludifices, modeſte potius comiterque excuſabis, non facturus, quam vt mentiaris, eo plus odii & leuitatis poſtea para-

turus, quo magis placere voluiſti, inanium pollicitator, vnde ſimul impotentiam tuam prodas, dum præſtare promiſſa non poteris,

24. Grauiores ſæpe ſuccreſcunt offenſæ, poſt reconciliationem, ſi diſſimulanter reconciliaberis, præſtat quandoque amicitiam in tempus differre, vt interim omnis materia offenſarum, amoueatur.

25. Importuna excuſatio, eſt accuſatio ſui, vel alterius opportuniſſima.

26. Intimo amicorum, immo neque vxori, ſecreta Reipublicæ reuelanda.

27. Sint tibi certi dies, quibus cum domeſticis clientibus liberius colloquaris, nec aſperneris quandoque hilariorem (*media cum grauitate*) conuictum, nam illa triſtis ſui Heri, perpetuaque obſeruantia, alienat per modica domeſticorum affectus, vt leuius quandoque ducant, non munerari, quam negligentius præteriri, præſertim illi generoſioris mentis, quos tenacius per humanitatem habeas, quam profuſa liberalitate (in cætera ſuperbus) pares. Non clientum

modo

modo, verum ſanguine iunctorum, bonos erga te parabis affectus, & arte quadam humanitatis retinebis, medius tamen inter elatam grauitatem, interque (ad obſonii raritatem) familiaritatem effuſam, nam ſecus ſi oderint, acerrima ſunt proximorum odia, maximeque *inimici hominis, domeſtici eius* (Math. Cap. V.)

28. Mordaces alicuius (vel populi) ſermones, non magna vehementia, ſed ingenioſe refutare, vel potius per iocum, aut tacendo, eludere debes.

29. Commiſſurus aliquid tractandum alicui, cauſam non refer, verum ſerio iniunge, & poſce operam; vel ſi refers rationem, non tuum priuatum commodum ſapiat, ſed publicum, ac proinde exſequentis, quo libentius commiſſum exſequatur.

30. In gerendis negotiis, vtilior eſt opera eorum, qui ad tuam opem & liberalitatem reſpiciunt, quam qui beneficiis iam a te onerati, ideo quodcunque aggredieris opus, & ſocios perficiendæ rei quæris, fac eos aliquid vtilitatis exinde ſperare.

31. Non ſemper ſecretus ſis, ſed aliquando popularis, parandis amicis, ſine quibus nihil præſtatur. Non habeas vero amicos, qui non quæris, quæruntur, non quærunt. Immo quærunt popularem.

32. Mordebis neminem ore, calamo, vultu, accuſabis neminem, ſed potius modice laudabis quemque pro merito virtutis, non velut ille (apud Tacit.) *Optimum quemque iurgio laceſſens, & reſpondenti reticens, vt pauida ingenia ſolent.*

33. Ea occulta vis linguæ & verbis ineſt, vt ſeu amando, ſeu offendendo plus in animis hominum poſſe verba, quam facta, re ipſa experiare, ideoque *grauius maledictis, quam male factis exacerbamur, & difficilius contumeliam perferimus, quam damnum*, male facta dolorem, maledicta contemptum noſtri ingerunt, qui altius ferit, quam dolor, nam in animum intimum pugnat, & in mentem, ille in corpus tantum, aut quod eſt, circa. Tum e conuerſo, gratiora ſunt generoſis pectoribus bene dicta, quam bene data, vt fere

omnes actiones (ſi amicos parare cupis) in verba prius quam in facta (& linguæ magis, quam manuum operationes, nam lingua altius quam gladius ferit) intentus eſſe debeas, ſeu quid acerbi, ſeu quid grati, auribus & animis hominum efferas, quæ eſt honeſta ad capiendos hominum animos fallacia; recte ait quidam: Lingua modica pars corporis nauium gubernaculo ſimilis, in cuius paruulo motu, totius nauigii regimen, immo ſalus & interitus vertitur. Minore vtique impenſa obuenit, multa bene dixiſſe, quam multa dediſſe: Verum ſi vtrumque recte adhibeas, pluribus felix eris amicis. Adde, *acerbe facta vim inferunt, atque ideo terrent ſimul offendendo*, vt neceſſe metum cuiusdam venerationis, ſeu reſpectum ſui incutiant, acerbe dicta, dum inermiter exacerbant verius, quam offendunt, odium, non terrorem mouent, ac proinde inermis iræ contemptum, tum indignationem apud audientem pariunt, cum audacia maiore in vltionem. Sic Germanos olim terrebant Romanorum arma,

& officii admonebant ſimul, poſtquam vero ſub *Quintilio Varo*, ab armis, ad inermem verborum conflictum, & litigioſa ventum iurgia, quaſi ad reliquam iniuriam id ſummum adiiceretur, implacabiles ideo facti, nec aſtimatis amplius legionibus Romanis, eas oppreſſere. Ait Florus (lib. IV.) *Germani poſtquam triſtes togas, & ſæuiora armis iura viderunt, duce Arminio, arma corripiunt, &c. Vnius cauſarum Patroni, os ſutum, reciſa prius lingua, quam in manu tenens Barbarus. Tandem* (inquit) *vipera, ſibilare deſine.* Ferdinando Arragonio Regi Neapolitano, ſecus, non maius argumentum fuit Neapolim recuperandi, quam cum accedente ad vrbem victore, Carolo VIII. Galliæ Rege, publice valedicturus Neapolitanis (Gallorum partes aperte ſecutis) ſuauiſſima eos Oratione allocutus, vt eius ſermonis, ob idque æquioris animi memoria, poſtea deſiderium in Neapolitanis excitaretur, Ferdinandi reuocandi, Gallo relicto, a cuius Præfectis, inhumanius tractabantur (*Franciſcus Guicciardinus Hiſtor. lib.* 1.)

Sic præſtat, etiam erga nos male affectis (quos punire aut cohibere non poſſis) bona verba dare, penes moderationem animi, quam pro impetu aſperius tractatos, in maius exacerbare, nullo in rem tuam commodo. Præterea in ſermonibus *non ſemper* (vt Didaci Savedræ ad plenam loci doctrinam per diuerſa caſuum, monitum includam) *formulis alloquiorum ordinariis & generalibus reſponſis vtendum, hæc enim cum dantur omnibus, ſatisfaciunt nemini, nec parum affligit mærentem animum, ſi reſponderi ſibi videat, quod norat iam ante, quodve prius etiam, quam proferretur, ad ſupplicis aures peruenerat. Nec ſemper audiat Princeps, roget interdum, nam qui non ſciſcitatur, de re plane cognoſcere non poteſt. Inquirendum igitur, vt ſtatus cauſæ penitius perſpiciatur.* Juſte ſuccenſitum olim Vitellio, *qui breui auditu, quamuis magna tranſibat, impar curis grauioribus.*

34. Non minus prudentis eſt viri, ſcire quod dicat, quam quid taceat, ſæpe (importune prolato verbo) multa bene

incepta, in aduerſum iuere, præſertim ſi efferatur, quod ſuam partem ab aliqua coniectura prodere, aduerſam vero præcauere, aut temeritatem prouocare poſſit. *Recte Æmilius Probus: Opportune tacere, non minoris eſt prudentiæ, quam diſerte loqui.* Eorum præſertim, qui alto honoris gradu ſubſiſtunt, ſunt *alata verba*, amant facile in vulgus deferri, vt præſtet, opportuna quandoque tacere, quam obliquas *Corteſanorum* interpretationes experiri.

35. Titulos inuſitatos ſperne, oblatos modice excuſa, nam ſunt prope inuidiam.

36. Iudicaturus lites, nihil profer præter decretum, ne affectus pro altera parte colligi poſſit, quod erit extra inuidiam. *Exuit perſonam iudicis, quiſquis amici induit.*

37. Si aliquid detrahunt tibi homines erige potius animum, ſciens, æmulam magnorum eſſe inuidiam, *meliorem eſſe vtique acerbam inuidiam omni amica commiſeratione*, ſed vide, vt intra metas virtutis hæc habeas.

38. Contemne linguarum calamorumque vulnera, & vinces, nullum illa lædunt, nisi volentem, verum is contemptus ex animi generositate & conscientia propriæ virtutis, non ab ignauia proueniat, velut de Nerone Suetonius. *Nihil eum patientius quam maledicta & conuitia hominum tulisse, vel contemptu omnis infamiæ, vel ne, fatendo dolorem, irritaret in pejus ingenia.* Sic fere incorrigibiles dum sumus, obiecta flagitia, non pudoris, sed ioci loco habemus, vnicum nonnullorum studium male agere, dein factum excusare. *Impius cum in profundum venerit, contemnit. Letantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.* (Proverb.)

39. Cedendum aliquando furori populi, quam obsistendum, tacendo multa diluuntur.

40. Vide, ne alium statum quam populus tenet & amat, spirare videare, ideoque commodis populi studere te monstra, iuuando loquentes, in aduersis compatiendo.

41. Etiam aliquando infra genus tuum te abiice, nec mensam populi fuge & conuictum, de Augusto Tacitus: *Populare credidit misceri voluptatibus vulgi.*

42. Liberalem te præbe, rebus non potes? nemo verbis pauper est; nemo tristis a te recedat, nulli tristem faciem, & rugosam frontem monstra, etiam ex iusto negaturus.

43. Auaritia & parcitas, egregie factis (ac proinde bonæ famæ) obstant, non amicitias ciuium pares, non clientes habeas, non seruitium publicum, pace aut bello probe tractes, quin aliquid erogare necesse habeas, quod parce erogantibus, quo grauius fit, eo remotius a bona fama absunt, immo re ipsa malam habent, fere eo collimat dictum: *Qui parce seminat, parce & metet. Liberalitatis* igitur in conuictu & *Munificentiæ* (erga clientes tum amicos) nomen, modo tamen extra prodigalitatis naturam, egregius quisque vir sibi paret, honeste erogando, in argumentum obtinendi amoris primum, dein habendæ auctoritatis inter ciues. Sed liberalitatem dum exerce-

ercemus, ex riuo hauriamus oportet, non vt fontem ipſam exſiccemus: Qui per ramos carpunt arborem & fructum, ſequenti æſtate, renatos iterum colligunt, qui ſecus ad radicem ſecurim admouent, ipſam, fructumque nunquam rediturum perdunt, ſic erogationes honeſtæ, proportionatæ, planeque inexhauſtæ ſint, quæ ex prouentu, non quæ ex alienatione fundorum, tum originalis boni (*ſola perdendi cura*) apparantur, nam alias cito deſinant. Is igitur impenſis diu ſufficit, qui *ex ramo* (dicere ſi licet) *non ex trunco viuere ſtudet.* Quæri exinde poteſt? quare fit, vt auari parentis ſucceſſores, plerumque prodigales fiant? vti fuit Caligula poſt Tiberium, Antonius Caracalla poſt Seuerum Imperatorem, & alii paſſim; ratio in promptu. Dum paratam inueniunt gazam & opulentiam (ex aliena opera) per totum habent, ingenerari neceſſe ex dudum præparato, nullam ſui & ſuorum in præſens curam (nam quæ non peperit ſibi, quisque minus amat, cum proprius labor magis penſatur, alienus vti

gratuitus, leuius habetur) ſed potius ex remiſſione curarum corruptelam, vt ſit primum malus vſus gazæ parentum, dein luxuria, tum inſolentia, exinde aliorum contemptus, poſtmodum veniat (modo ſine vulnere) egeſtas.

44. Audaciſſimum quemque e plebe, beneficiis vince tibique obſtringe, dum ſenſeris, quibus capiatur, virtuoſos tamen & modeſtos; in amicitia interiori præpones, hi dum pro virtute agunt, rectum ſemper conſtanter, & ſincere faciunt, illi ſæpius inſoleſcunt, & modeſtiam in amicitia faceſſunt, nec debere ſe, ſed debere ſibi totum volunt, deuincies tamen tibi illos, *non vt proſint, ſed ne noceant*, imo prodeſſe poterunt pro tempore, ſi recte vtaris. Argute in rem Velleius (lib. II. hiſtor.) *Brutum amicum habere malles, inimicum magis timeres Caſſium, in altero maior vis, in altero virtus.*

45. Ab aſperioribus verbis caue, verum mollioribus vtere, etiam non laudaturus

daturus, etiam reprehensurus.

46. Negatio mollibus vestita verbis, gratior est tristi morosaque largitione.

47. Potius odia lenitate (humanitate admista) vincuntur, quam mutui odii pertinacia.

48. Iterata beneficia fortius stringunt, velut repetita vincula fortius innectunt, ideo frequentia potius, quam magna confer, quo diutius dando sufficias, nam vere homines, beneficiis passim vtuntur, ceu floribus, tam diu gratis, quam diu recentibus, marcescit eorum memoria, nisi sæpius dando renouetur. Sæpe vero dare non sufficias, si magna simul dederis. Deinde scias oportet, cariorem esse cuique modicam recompensam, pro virtute & merito, magisque debere gratiam exinde datori, quam quoduis magnum donum, in obuios petitores effusum, hoc enim accipiendi modo, non ad virtutem nostram, sed ad fortunam, liberalitatemque conferentis, honos refertur, illi priori, vtrumque simul pensatur, & munus, & quod maius est munere, virtutis

tutis nostræ æstimatio, cuius esse quisque sibi conscius, & ab aliis pensari quam maximum cupit, vel secus improbari, grauiter indolet. Immo illo posteriori modo, est sæpius inconsiderata largitio, ne dicam effusa, prodigendi facilitas, mollis animi partus, illo vero priore, dantis prudentia, vera liberalitas, & meritorum illecebra vocatur.

49. Haud firmam amicitiam aut diuturnam parari crede, quam dando retines, ni adhibeas, cum reuerentia tui aucroritatem. Vere ait ille: *Quis magnitudine munerum, non morum constantia amicos sibi parat, meretur magis quam habet.* Cum enim satis acceperint, quantum opus habent, aut benefaciendo deficias exhaustus, vel saltem nisi auaræ exspectationi, magnitudine dandi sufficias, reiicient te, nec amplius curabunt. Fundamentum ergo parandæ & retinendæ amicitiæ penes virtutem & auctoritatem morum (cum reuerentia tui) pones, beneficia vero, & comitatem habebis, velut pro condimento tenacius retinendæ.

Pecca-

Peccauit in eo Iulius Cæſar, cum omnia petentibus amicis ex facili concederet, quæ aliquando prudenter recuſari poterant, vnde plures amici eum confecerunt, quam inimici, quorum non expleuerat ſpes inſatiabiles, tanta enim nonnullorum amicorum importunitas, vt quamuis multum acceperint, iniuriæ tamen loco habeant, plus accipere potuiſſe, dum facilitate obtinendi, aſſueſcunt eſſe *petaces*. Idem in Galba reprehendit Tacitus (*Hiſtor. I.*) *Hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates, ipſa Galbæ facilitas intendebat, cum apud infirmum & credulum, minore metu, & maiore præmio peccaretur.* Ignis, ambitio, tum auaritia, nunquam dicunt ſatis, plus appoſueris, plus ſemper inflammantur. Caue ideo aſſuefacias amicos importunis petitionibus, obuia facilitate concedendi, potius nonnunquam petentibus humaniter recuſa, non quod præſtare nolis, ſed in aliam occaſionem differendo, vt diſſueſcant importunitati, *aſſueſiant repulſæ*, ruborem petitionis habituri, nec aliter iſtos

Petaces

Petaces vitabis, vel potius *inſtar generoſorum equorum, amicos alendos, non ſaginandos ſtudebis*, obeſi non tam expediti, verum ſegnes, ad tuum libitum ferendo labori.

50. Inde enaſcitur prudens monitum, ne amicos, tum domeſticos clientes, quorum opera indiges, ſpe præmii in factum prouoces, aut facere aliquid aſſuefacias, potius negotium propone, & operam amice require, vt pro neceſſitate officii factum aggrediantur, exſoluturi de ſua virtute exſpectationem. Si vero aliquid daturus es, non in recompenſam offer, ſed ex beneplacito, adiecta poſt præſtitum opus mora, quod enim in recompenſam datum eſt, non obligat in futurum accipientem, ſed ſoluit debito recompenſæ dantem.

51. Non tantum de amicis & clientibus dictum eſto, ſed de ſtipendiariis militibus, ne prudens Dux aſſuefaciat milites recompenſæ, potius officia militaris virtutis & obſequii requirat, pœnam propoſiturus non facturis, quam

L præ-

præmium alacribus, quod offerendum tamen, ſed ex inſperato.

52. Qui rem bene habere vult, rei perficiendæ ſit diligens curator, *potius in negotio, quam poſt negotium, malefacti operis ſeuerus exactor*, quid iuuat puniuiſſe, aut reprehendiſſe, cum tamen res male facta manet, nec reuocari poteſt, prodeſt quidem correctio in poſterum, ſed in præſens damnum habetur. Eo prope collimat *Tacitus* dum ait: *Præſtat officiis* (ſeu negotiis) *non peccaturos præficere, quam punire cum mala fecerint.* Prout certe rem non aliter probe aſſequaris, quam ſi apte negotiis præficias, non qui ſuperiores, neue qui ſunt inferiores, ſed qui officio proportionati, & velut e condicto pares. Illi primi, officium commiſſum, infra capacitatem dignitatemque ſui habebunt, illudque negligent, nec offerenti gratiam debebunt, ſed potius offendentur, iudicio parui muneris, velut contemptos ſe ægre ferentes, ſecus item inferiores, dum non ſufficient muneri, rem agendam peſſundabunt, vt iudicii arguaris, qui imparibus agenda contu-

contuliſti, volens tui ipſius deceptor, velut ſi Myoparoni piſcatorio, claſſis nauarchum præficias, aut obuio remigi, prægrandem quadriremem curandam ſi committas, hic per inertiam regendi, eam perdet, ille muneris vilitatem contemnet infra dignitatem habiturus. Vel perinde ſuperuacaneum fiat, ac ſi magno pedi, paruum calceum induere contendas, vel ſecus toga virili, veſtire infantem (onerandum potius, quam vt ornetur) velis, in hoc turpi exceſſu, in eo peccaturus defectu. Oportet igitur, ſecundum genium cuiusque (prout in artem agendi hanc aut illam natura inclinat) munera cuique committantur, non vero e contrario, Togata, viris bellicis, Prouincialia, maritimis; ludicra, ſeriis & grauibus; iuridica tum forenſia, ruralibus: amœna, triſtibus: turbulenta pacatis; laborioſa, delicatulis; regenda, obedire niſi & ſubeſſe aliis commode ſcientibus, intricata, non expeditis & hæſitantibus: Religioſa, politicis. Denique (repetito dico) parua, ingeniis magnis,

paruis. Satis prudens in eo Tiberius, de quo Tacitus (VI. Annal.) *Poppæus Sabinus a Tiberio maximis prouinciis impositus, nullam ob eximiam artem, sed quod par negotiis, neque supra erat.*

53. Quæ ratio non poteſt, ſæpe tempus ſanat, noli anxius eſſe, *verum tempus in conſilium voca*, nonnulla difficiliora tempori, aut potius Deo, ſananda permiſſurus. Sic ille apud Hiſtoricum: *Conſilium cui impar erat fato permiſi.* Non tamen fac deſperabundus. *Sæpe meliori fortunæ, locum fecit aduerſa.*

54. Non qui res, ſed magis qui tempora diſponere ſcit, vel vtrumque, rem habet, recte autem diſponit, qui bene diuidit. *Ego & tempus, contra duos*, Caroli V. Cæſaris dictum. Solus ſcit agere, qui tempore non neſcit vti.

55. Caue moroſos, qui momenta rerum trahunt in offenſam ſui, non aliud lucri ex talium conuictu reportabis, niſi cum indignatione acerbitatem, dum ſunt ſimiles ſtomacho nauſeabundo, qui etiam ſuauia male accipit & faſtidit.

56.

56. Minores virtutes affectum vulgi mouent ad amorem, excelſa virtus, niſi magnorum mouet intellectum, ad penſandum & æſtimationem, hæc erga ſuperiores neceſſario vſurpanda, ſed cum minoribus, niſi minorum virtutum vſus, cum enim illi altas capere non poſſint, ſtupent verius eas, quam amant. Prout igitur cum magnis, aut minoribus res tibi, ſic virtutem (vtique omnium haud neglector) hanc aut illam, ſtudioſus adhibebis, ſi ſapis. (*Vide Notationes meas Politicas puncto XII.*)

57. Semper cautus ſis, & haud fide.

58. Caue inimicos laudantes. *Nam quo incautius decipiant, palam laudant.* Immo cauebis amicos, placere nimium volentes & ſuſurrones.

59. Tuum ſecretum ſit clauſum, & niſi vni alicui, aut tibi ſoli, apertum; Sed cauendum, ne ſilente lingua vultus, oculi, ac cæteri geſtus loquantur, vt quod maxime celatum vis, in lucem protrahatur.

60. Dicto vulgari: *Male bene poſitum,*

ne moueas, ne fiat peius.

61. Affectus, inimicus bonæ rationi, qui eum non regit, regitur, neque te ira, neque nimius amor ducat, sed mediocritate laborandum, nisi velis errare. Qui minus ex affectu habet, plus ex ratione.

62. Qui amat nimis quietem & secessum, qui breuiloquentia gaudet, ad vsque affabilitatis comitatisque defectum, qu Stoicum & graue supercilium gerit, morosus dictorum factorumque in alios censor, qui parce erogare cupit, qui facile dicto offenditur, nec scit (salua tamen grauitate & virtute) dissimulare multa: paucos amicos sibi parat, nec multum in populo potest; impossibile est, cum nemini te amicum dederis, dari tibi aliquem velle, aut si vis habere, necesse remittendum aliquid ex rigore, quod virtuti non contrariabitur, sed eam adornabit, sæpe virtutis legem falso putamus, cum potius viuendi morositas est.

63. Cauti aut nimis quieti, dum esse

nonnulli

nonnulli volunt, otiosi fiunt, cum aggrediendo, terrentur difficilibus, vel cum non ex voto, res alias cadant, vel cum sibi (quæ recte fecisse conscii sunt) a maleuolis succenseri, indigne ferunt, vel dum sunt agendo nimis scrupulosi nec plane resoluti, & leues offensas metuunt, quod mollis & ignaui verius, quam quietem appetentis animi signum est. Fateor, nihil agentium facta non improbari, non errant, dum nihil agunt otiosi, velut apud Tacitum Hordeonius Flaccus. *Non compescere ruentes, non retinere dubios, non cohortari bonos ausus, sed pauidus, segnis, odiosus & secordia innocens; & Galba magis extra vitia, quam cum virtutibus, in quo cum segnitia esset, sapientia vocabatur.* Tales non habent inimicos, sed nec amicos quoque, dum negliguntur, errare vero, dum nobis succenseri, aut offendi, vti hoc alienæ malignitatis, non autem nostri vitii, sic illud, prorsus humanum est, cum non qui minime errat, sed qui prompte erratum corrigit, & a casu intra virtutem

assurgit,

aſſurgit, prudens eſt: Hominis actio, (dum hominis eſt) aliena prorſus ab errore eſſe non poteſt. Diuina niſi errore vacua tamen a malitioſis, male intelliguntur, modo illud in homine laudatur, dum non confundi, ſed prompte ſe recolligere, intra magnanimitatem ſui, potens animus. Falluntur ideo, qui ab vſu & tractatu rerum leuibus terrentur, vt recte ſuccenſuerit illis Juſtus Lipſius (Epiſt. 39. Cent. 2.) *Contemni a te humana gaudeo, quæ me quidem auctore, pedibus etiam trahe, ſed ita vt contemptus iſte, ab alto quodam animo ſit, non quo ipſe ſe contemnat. Hoc modeſtiam aut ſapientiam cenſes, iacere? nihil agere? ad nullum vitæ genus collineare? ignauia eſt; magnorum etiam ſæpe ingeniorum peſtis.* Subit enim (vt ille inquit) inertiæ ipſius quædam dulcedo, & inuiſa primo deſidia poſtremo amatur.

64. *Pro vltimo.* In gratiam cuiusque prudentis & virtuoſi ciuis, adiiciendum putaui, vt ſi ad recta præcepta vitam moresque componat, & in altum agendarum rerum pro virtute contendat, fore vt incurrat in malignantium linguarum cenſuras, inuidorum odia experturus; quæ plerumque virtutem exercere amant. Ne igitur acerbitate vir prudens confundatur, ſed potius in partem melioris fortunæ trahat, certum argumentum magnitudinis habiturus, inuideri ſibi, quam vt inuideat, modo rectæ virtutis conſcius ſit. Continua obſeruatione compertum, non poſſe magnorum Catalogo inferri, niſi qui prius aſperam inuidiæ viam decurrat, aut dum eam calcauerit, tum vere fortunæ altioris gradus, ſubſtrui ſibi ab occulto fato ſperet. Non certa ſermonum acerbitas inuehitur in vilem colonum, quia ſola ignobilitate & inertia ſecurus, quem per omnia ſors infima, ſemotum ab hominum fama, & tutum ab inuidia facit, non inuadit humilia tugoriola, verum altas petit domos, aut potius eos exercet viros, qui extra abiectorum ſordes poſiti, in conſpicuo præclaram agunt vitam, vt vere dicatur.

Æmulam magnorum esse inuidiam. Velut altius noster Tacitus. *Sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus periculi ex bona fama, quam ex mala.* Si penitius introspicere liceret intimum inuidorum pectus: quidni videretur intus crudeliter laniatum, animus exesus, mens inuidiæ curis decocta, vt potius cum loquuntur, aut de te sibi vindicant, potius de se ipsis grauiores pœnas sumant, non in te verbo, sed in se continua magnitudinis meditatione sæuituri. Illum tua generositas vexat, hunc in rebus gerendis grauitas arguit, aut morum pulchre composita venustas confundit, iam incipiendorum & agendorum prudentia, in contrarium nitendi æmulationi obluctatur. Plerumque vero magna fama in magnos & officiis degentes, *quos nobilitas, opes, honos, aut aliqua insignis claritudo; rumoribus obiicit*, quem ergo miserum, & infra genua sua abiectum (nec supra pro virtute assurgentem) videre mallent, superbum & obliquæ virtutis clamant, non quia tu vere sis, sed quia illi

illi animo ægri, nequam, malitiosi, maioris virtutis impatientes, vt eo ipso inferiores se agnoscant, dum inuident. Ad rem meam facer scriptor, *Inuidiam, portatilem infernum vocauit*, vt quem inuidum dixeris, viuum potius martyrem voces, & in horas morientem, nihilque peius in pœnam optes, quam vt rectum facias, quod inimicus inuideat: *vtinam inuidi vbique oculos haberent, vt omnium felicitate torquerentur.* Torquetur sane quisque inuidus, cum alterius felicitas, sui animi Tyrannis est, quod alterius fortunæ gloriæue accessit, sibi demptum putatur, aliorum diuitiæ, sua paupertas, aliorum affluentia, sua macies, sua fames, & cum magni esse non possint, nec cæteros malunt, in se nequam, in cæteros haud boni. Ergo ne queratur de inuidis vir prudens, gaudeat potius, nisi malit vocari miser, nec se altum stantem magis arbitretur quam dum hoc malo iacet; Inuidiæ similes meteororum ignibus fatuis, qui sequentem fugiunt, fugientem sequuntur, sic illæ, nisi non contemnenti nec conscio propriæ

priæ virtutis, nocent, gaudeat (inquam) magnum ſibi ineſſe, quod inuidorum oculos fodiat, mentem decoquat, animum compungat, ſibi in triumphum, æmulo in confuſionem. Senecæ ſuper hæc verbis vſurus. *Male de me loquuntur: faciunt non quod mereor, ſed quod ſolent, male loquuntur? bene neſciunt loqui, non iudicio faciunt, verum morbo, non de me loquuntur, ſed de ſe. Mouerer ſi de me Marcus Cato, ſi Lælius, ſi duo Scipiones loquerentur: nunc malis diſplicere laudari eſt, non poteſt vllam auctoritatem habere ſententia, vbi qui damnandus eſt, ipſe damnat. Quibusdam canibus ſic innatum eſt, vt non pro feritate, ſed pro conſuetudine latrent*, dicam vltra, male de me loquuntur, ſed ipſi otioſi, *alienos labores e conuiuio ſecure proſpectantes*, & quos publica quies aliis laborantibus molliter habet; vel quod alibi dixi, ſæpe tibi repete, deſiderari ad maiorem perfectionem virtutis, aduerſarium habere, vt æque victus ſit aduerſarium modeſte tuliſſe, ac alia recte feciſſe. Non igitur

igitur bonum eum iudica, quemcunque aliorum dictis factisque obloquentem audieris; videsne aquas per ſe ſapidas & dulces, qualem terram præterfluant? puram, amaram, ſulfuream, ſalſam, lutulentam, eius ſaporem purum, aut ſecus amarum, ſulfureum, ſalſum, lutulentum, & male olentem ſapere; Sic iudicia nonnullorum de rebus, bona ſunt aut mala, prout animus, vnde feruntur. Habent bonæ apes, vnde ſuum mel ab acri vrtica decoquant, araneis etiam roſa ſui veneni materia, non quia roſa mala, ſed quia niſi venenum quærit aranea. Non igitur (quod ſæpius ſuggero) conqueraris, non ferrum in vltionem poſce, non exitium tibi obloquentibus meditere, ſi vir bonus es, quam vt eo ſtimulo in altum virtutis enitaris, plusquam ſatis honeſtiſſimæ & triumphalis vindictæ (ſi ea vindicta vocanda) dum tibi inuidetur habiturus, vnde quod maximum in humanis, virtute ſuperabis inuidiam, quæ non niſi bonæ virtutis conſtantia ſuperatur, vi nunquam, ſed vt potius incite-

incitetur. Sed cum omnia feceris, non ſemper eandem virtus in orbe habet æſtimationem, in aliis eadem laudatur, in aliquibus non item. Ergone hodie non ſunt viri, virtute, iudicio, morum grauitate, agendique peritia, Manliis, Scipionibus, Fabiis, cæterisque Romanorum & Græcorum magnis nominibus pares? Sunt omnino, verum ſeculi vitium, non virtutis defectus, vt non videantur, cum in ea tempora non inciderunt, quibus totum virtuti concedatur ſine inuidia, & locus & æſtimatio, & præmia, *& agendi occaſio*, verum potius illa, hominum malignitate compreſſa iacet, latetue. Quid enim inter malitioſos poſſis? ſi corrigas? dum ſunt mali paſſim, facile offendas multos, ideoquæ indignantur, ſi agere velis? inuident, nec ideo iuuant, immo ſtudioſe recte faciendum præpediunt, tenebras virtuti aliorum inducere amantes, ne comparatione, ipſi prodantur, aut vileſcant. Priſca ætas ingenua erat, circa rectam ſimplicitatem, æquum habens virtutis intuitum, dum

plures eſſent recti, quam in deuia vitiorum abeuntes, neque ideo ſuperbia obſtitit, quo minus ductum et conſilium meliorum ſequerentur, facile exinde ſe erigebat virtus in maius, cum ſeu ageres, penſaretur, ſeu adiutoribus & inſtrumentis agendi opus haberes, præſto adeſſent inter bonos, rectum volentes, aut quod velis, facere ſcientes. Facilius erat Scipioni, vigente militari virtute Romana, magnum Ducem pro Romanis agere, Annibalem vincere: Carthaginisque deprimere faſtum, & Africani nomen pro ſe mereri, cum tot haberet in exercitu ſcientes ordinum ductores, bello iuſſorum *apta exequendo inſtrumenta*, quam ſi alias poſterioribus ſeculis, labente diſciplina, inter rudes, cohortium adminiſtros armis agendum aliquid veniret. Aut *Porcio Catoni*, cenſoriam exercere erat promptum & reducere ad normam recti omnia, in vrbe, in qua nondum per omnia adoleuerat flagitium, & agendi licentia, quam eius pronepoti *Catoni Uticenſi*, cum eius ætate

ate præualeret licentia, & ex opibus immensis fastus, tum insolentium turba. *Nullibi igitur minus possunt recta ingenia, quam si inter eos venerint, qui scioli, præsumptuosi, & insolentes, tum rudes, tum imperiti, pertinaces.* Exinde causa proxima est: In populari Republica concordiam vigere non posse, dum quisque præsumit audaculus, sciolusue, nec alium sequi vult, aut primatum concedit meliori, verum sibi asserit insolenter, rem in diuersa trahens, fœcunditatem ingeniorum nonnulli tunc vocant, cum potius agendi insolentia inualescit. *Ad concordiam vero necesse omnino; vt vni duobusque concedatur, qui ex virtute præeant rectum acturi,* cæteri sine scrupulo & murmure sequantur, immo iuuent confidenter vniti, nec distrahant rem abeuntes in diuersa, dum enim singuli præire volunt, vniuersi confunduntur. Sed hæc obiter. Quantum vero ad famam & æstimationem Principum virtutis, euenit illis, velut quidam recte annotauit: *Tametsi vnus aliquis Princeps,*

ceps, iisdem bonis artibus Rempublicam moderetur, quam alius gloriosissime eam moderatus est, æque tamen acceptus futurus non sit, nec parem habiturus laudem, nisi subditorum, vtriusque quoque naturas, æque probas esse contigerit. Addam amplius, nihil magis vulgus, quam ordinem odit, mauultque malos dominos, modo sine ordine & in licentia, quam bonos experiri, modo sint extra ordinem, ad normamque legis & virtutis, tum per omnia modestiæ ne componantur. Exinde secus, malis Dominis, in subditos ars sola illecebrarum est per obliqua, vt cum aliquorum fortunas emungant, in alios pro insolentia sæuiant, vniuersorum libertatem per diuersa aggrediantur, verbo tamen familiares sunt, & suauiloquio laborant, arte varia lenociniorum, fucum actioni inducere amantes, præsertim dum priuata vitia, mutuas inter se insolentias, & scandala populo condonant, immo studiose conniuent, in speciem licentiosæ libertatis, dum cuique malum esse, & in solescere in alium,

M impu-

impune licet. Sic verſutorum, aut quoquo modo obliquorum amicitia, inescantur magis aliqui, quam eorum, qui ad virtutis legisque normam, ſe recte componunt, dum illis prioribus, libertas ſpecioſa, & amœnitas conuictus, ineſt, hi pro virtute & modeſtia, triſtiorem regulam viuendi, & morum quendam rigorem, inducunt, æſtimantur quidem, ſed non amantur. Sic illecebræ mundi, quæ *temporalia* viris ſpiritualibus vocantur, plures ſectatores habent: quia lætiora ſunt aſpectu, & ab exteriori ſenſu penſantur, licet exitu poſthæc triſtia, quam ſolidior virtus, cuius pretium & æſtimatio, altiori menti ſubiacet. Ex eodem fonte (ad propoſitum vt redeam) *boni domini, apud malos peius audiunt*, & niſi amiſſos vulgus agnoſcit, ſeroque dolet, aut ſecus, mali æſtimantur, dum illis populi ſunt aſſuefacti, moribus, epulis, venatu, facilitate, luxuria, tum exercitiis conformes; velut Neronis vitia haud minus adamauerat populus, quam virtutes aliorum veneraretur, &

& in Vitellio (idem obſeruauit *Tacitus*) *ſtudia populi tum exercitu; raro cuiquam bonis artibus quæſita perinde affuere, quam huic per ignauiam*: Quid mirum igitur? ſi ne Diuina quidem vulgus probat, Moyſes populum ex Ægypti ſeruitute eductum, cum ordinatiſſime molliſſimeque habet, manneis de cœlo panibus, delicata coturnice dum paſcit, periculis inſuper, in manu Dei potenti, dum promptiſſime adeſt. *Portans populum in ſinu, ſicut portare ſolet nutrix infantulum: Murmurauit populus contra Moyſem, dicens: Cur feciſti nos exire de Ægypto, vtinam mortui eſſemus in terra Ægypti, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones & cepæ, & alia.* Cauſam rei ſcire placet? en cape; Moyſes ad virtutis legem animos populi componebat, in Ægypto in corpora ſæuiebatur, hominum vero proteruiæ, triſtiorem eſſe modeſtiam virtutis & correctiuam legem, dum intimum animum petit, quam corporis exteriorem ſeruitutem, Ægyptus craſſa carnium epula, &

ignobiles delicias ſeruilibus ingeniis obtrudebat, Moyſes altiorem eſcam ſuppeditabat, & aſſerebat (ſed non ſine regula) libertatem, quorum niſi ingenui altiorisque mentis homines, ſunt capaces, ingeniis abſurdis & non intelligentibus, niſi quæ ſenſu exteriore penſantur, placent, præſentia minora dum intuentur (infaſcinati) futura maiora negligunt, ſimulque obtrectant ſuperioribus. Tamen vniuerſim, (vt verum fatear) inuidiæ, ſermones vulgi, & acerbior cenſura, in principes viros, aut quoquo modo æſtimatos (præſertim qui admoneri per ſingulos nequeunt, tum in quos nulla poteſtas eſt) non obſit, ſed neceſſaria vt plurimum eſt, idque communis boni cauſa, ſi enim immerito iactetur, prodeſt tamen, ne deprauentur, qui boni ſunt, immo ad altiora calcar habent, velut præmoniti, dum intro ſe (num verum ſit?) introſpiciunt, & ſimul *humanorum* admonentur, ſin vera eſt, in melius corrigit, vel ſaltem ne peiores euadamus, acerbitate aut metu maio-

maioris ignominiæ nos coërcet: *Merito conſtitutus eſt honor in opinione aliena, vt ſcilicet in metu ſimus, cumque actiones noſtræ, ab aliorum dependent iudicio, omnibus ſatis facere ſtudeamus: Etiam libertatis in Republica ſignum eſt, obtrectatio, in ea enim, quam tyrannus oppreſſam iam tenet, neutiquam permittitur.* (Didac. Sauedra Symb. XV.)

65. Vltimum monitorum illud eſſe debuerat, ſed manum amouenti de tabula, en occurrit dictum, ore ab Ethnico, vere Catholico-politicum, tibi, alteri mihique mature ſciendum. *Qui notus nimium viuit omnibus, ignotus moritur ſibi.* Vel quod rectius Diuus ſcriptor. *Qui vixit velut immemor DEI, moritur in fine tandem oblitus ſui.* Felix viuit, qui medios inter negotioſi ſeculi dies & fortunæ blandimenta, furto ſibi ſubducit horas, aut ſaltem extrema vitæ applicaturus DEO, explicatus ſponte, ab humanorum curis, rectius illas deſerturus ipſe, quam vt relinquatur inuitus ab illis. *Minimum eſt quod reſtat vitæ ſeni decrepito*

(Barthol. Gramondus lib. 2. Histor. Gall.) *quique Reipublicæ & amicis plane inutile est, annus vnus & alter, quo victurum se sperat, multum æternitati valet, momento paratur æternitas, felix aut infortunata, qualem sibi quisque procurat.* Non immerito Seneca illudit Senibus, humana nimis studiose disponentibus, in multos velut annos victuris, *Nihil turpius est, quam senex viuere incipiens.* Pulchrum immo, dum viuimus senes, sed mortui mundo, victuri tandem nobis, cum viuimus Deo.

A DEI Nomine, incepi hæç monita, in eodem finiui, qui mihi rerum Alpha & Omega, tuisque actionibus, vtinam sit oporter, immo sit necesse omnibus, dum verò ad eum, nostra plene dirigentur, vt quid? (bonis) opus his aliorumque monitis, aut secus, quo magis a diuinorum cogitatione & amore (quasi ab vltimario summoque bono) recedimus, neque hæc, aut mille talia, satis ad cautionem, recteue agendum sufficiant in doctrinam, etenim quo magis sumus erronei

ronei circa eligendum verum bonum, plus in passiones animi incurrimus, & vario illidimur, quam vt narrari cautio possit, turbamus inquieti alios & turbamur vicissim ab illis. Scire enim, breui compendio rem grandem, te oportet.

Commotiones seu *Passiones animi*, oriri ex *absentia* aut *a præsentia boni*, sit *veri*, sit *opinatiui*, per se autem verum & perfectum bonum, non est, nisi solus Deus; nam reliqua bona sunt ab hoc, vel propter hunc, id est, in hoc. Quæ autem extra hunc, sunt tantum non solida, finita, transitoria, aut opinatiua, vel falsa bona, prout cuiusque opinio ex temporali sibi statuit, & ex appetitu falso, immo, si penitius perpenderis, sunt vere, ipsa mala; Ideoque post lapsum primi parentis, & post amissam originalem gratiam, (velut possessionem Dei, id est Veri, summi & vltimarii Boni) passiones animi, non possunt non esse in homine, dum quiescere non potest, sed per hæc, aut illa vagatur, velut in via, quærit, inuenit quodammodo, nec materialibus

libus (*mentem habens immaterialem animumque*) plene ſatiatur, ſed irritatur verius, dum eſt extra metam perfecti boni poſitus, adipiſci vero, illud non poteſt, niſi (pro ſorte meritorum) poſt emenſam vitæ viam, occupet in viſione Deum, qui vti infinitus eſt, ſolus vaſtam & plane infinitam mentem hominis, ſufficientiſſime implet, & perfectiſſime terminabit; Immo, in hac vita, qui magis Deum animitus meditantur, minus de illicitis animi paſſionibus habent, ipſi quieti, dum falſi, opinatiui, nec proportionati hominis animo boni contemptores, & incurii, meditatione Diuinitatis, quaſi in poſſeſſionem *veri Boni*, mature & ante tempus incipiunt inuolare: Atque hinc eſt, *materia & cauſa omnium Virtutum*, ſtudio (qui eſt vnicus finis humanæ voluntatis & actionum) habendi veri, ſummi & perfecti boni, aut ſecus, circa eius abſentiam, tum in eligendo errorem, aut malitioſam inconſtantiam in quærendo, eſt cauſa commotionum & paſſionum animi, tum ex non domitis, *cauſa immo materia vitiorum.* AP-

APPENDIX.

ICON INGENIORVM.

Genera Ingeniorum (ſeu Animorum) varia, ſeu BONA, ſeu MALA ſunt.

In genere BONORUM ponuntur.

INgenium Frugi, Rectum & Simplex, Reale, Probum (ſeu Integerrimum) Æquum (ſeu Amans iuſtitiæ) Apertum (ſeu Candidum vel Sincerum) Clarum, Ingenuum, Verax, Graue, Judicioſum, Solidum, Prudens, Validum ſeu Firmum, Conſtans & Stabile, vel Perſeuerans. Tenax verbi, Infractum, Aſſiduum, Sedulum, Studioſum, Serium, Defæcatum, Maturum, Conſummatum, Sobrium, Practicum (ſeu Pragmaticum) Viuax (ſeu Vegetum) Erectum, Peræquale, Excellens, Penetratiuum, Conſideratiuum, in ſe retractum, Profundum, Diſcretum (ſeu Diſcer-

nens) Perſpicax, ſeu res a longe, & ante tempus proſpiciens, *nec ſciens fallere, nec falli ſe ſinens*, Cautum, Vigilans, Prouidum (ſeu Circumſpectum) Sagax (vel Solers) Expeditum (ſeu Promptum) Extra dilationes poſitum, *conſultisque facta coniungens*. Sui compos, Recollectiuum, Aptum & Habile, Induſtrium, Conceptuoſum, Speculatiuum, Capax, Elegans, Caſtigatius, Efficax, Facundum, Politicum, Nobile Diues & Fœcundum, Verſatum, Laborioſum, Conabundum, Actiuum, Alacre, Indefeſſum, Generoſum, Magnificum, ſeu Magnanimum, Animoſum, Altum (ſeu Altioris ſpiritus) Cordatum (ſeu virile) Intrepidum; Æquanimum, Pacatum (vel Quietum, ſeu Manſuetum) Actione ſuaue, Clemens, Commiſeratiuum, Temperatum, Verecundum, Religioſum (aut quæ aliæ deuoti animi dotes) Ciuile vel Vrbanum; Populare, Beneuolum ſeu Benignum, Fidum, Lentum, Cunctabundum, Sedatum, Qualitatiuum, Frugale, Tractabile, Sociabile, Come (ſeu Affabile)

bile) Morigerum, Liberale, Hoſpitale, Humanum, Amicabile, Amœnum, Feſtiuum, Docile, Corrigibile, Concinnum, Recte compoſitum, ſeu Cultum vel Comptum, Moderatum, ſui potens, Amans Publici, *Vniuerſale*, Mediocre, Liberum, *Non dependens nec Obnoxium.*

Dictum pro genere bonorum ingeniorom erat ſatis, verum nulla feſtinatio, transgredi cogit mentionem Elogiorum, quibus arguto ſatis breuiloquio *Velleius Paterculus*, magnorum olim nominum viros (per diuerſa genera virtutum & rectorum ingeniorum) paſſim decorauit. Vir in tantum laudandus, in quantum virtus intelligi poteſt. Nihil in vita ſua niſi laudandum, aut facit, aut dixit, aut ſenſit. Tantis adornatus virtutibus, quantas perfecta natura aut induſtria, & mortalis conditio recipere poteſt. Neque dicendus, neque ſilendus ſine cura. Viri cuius operum & ingenii magnitudo, inſtar magnorum voluminum. Per omnia virtuti ſimillimus. Ita omia ſimul, ita ſingula ex omnibus agens,

gens, tanquam expeditiſſimus ille tantorum negotiorum mole, huic vni negotio vacaret animus. Nunquam recte faciens, vt facere videretur, ſed quia aliter facere non poterat. Natus ad omnia, quæ recte facienda ſunt. Vir ſeueritatis lætiſſimæ, hilaritatis priſcæ, actu otioſo ſimillimus. Fœmina (nam & huic ſexui ſua quoque decora ſunt) nihil muliebre habens, præter corpus. Cuius potentiam nemo ſenſit, niſi aut leuatione periculi, aut acceſſione dignitatis (*Velleius Paterculus paſſim in Hiſtoria.*]

In genere MALORUM ponuntur.

Ingenium Obliquum, Malignum (ſeu Malitioſum) vel Nequam, Cholericum (ſeu Iracundum) Igneum vel Ardens, aut ſecus Tepidum, Imperioſum, Officii inſolens, in alios Inquies, & Abuſiuum, aut ſecus, operæ tædio, vel inertia ſe ipſum conficiens, Acre, Violans, Trux, (ſeu Ferox) Flagrans (ſeu valde volens) Impatiens, Vehemens (ſeu Impetuoſum, Præceps, aut Concitatum) Deſperatum, Præcox, Cerebroſum, Inſociabile,

ſociabile, Illiberale, Inclemens, Inuidioſum, Zelotypum, Pertinax ſeu Obſtinatum, Proteruum, Incredulum, Moroſum [ſeu Abſurdum, Sordidum, Subruſticum aut Inſulſum] Cynicum, Dubium ſeu Dubitatiuum, Conſternatum, Meticuloſum (vel Pauidum) Irreſolutum, nullius auſus capax, Futuri ſocors, Ægrum, Ærumnoſum, Querulum, *cui nunquam bene*, Incurium (vel Negligens, ſeu Neglectim tranſitorieque agens) Perfunctorium, Obliuioſum, Impeditum (ſeu non expeditum & Hæſitans) Inexplicatum, Inuolutum, Tædioſum ſeu Faſtidioſum, vel Nauſeabundum, Inexplebile, Nouicupidum, id eſt, *præſentium intolerans, mutationis auidum*, Curioſum, ſibi complacens (quod laborat Philautia) Jactabundum, Affectuoſum, Paſſionatum, Affectatum, Tumidum (ſeu Præſumptuoſum, Faſtuoſum, Ventoſum aut Arrogans) Pompaticum, Impendioſum, vel Sumptuoſum, Laudipetum, Inane, Vanum, (*quod facit tantum in ſpeciem, aut non ſolita penſat,*) Ambitioſum, Æmulum,

mulum, ſeu Æmulatorium, Oſtentatiuum, Sciolum, Fucatum, Exuberans, *verbis, geſtu aſpectuue magnificum, Rerum et ſolidæ mentis vacuum* (vel quod eſt totum in exterioribus & in lingua, *ad numerum niſi totum faciens*, aut ſi dicere licet, *Vano Stoicum*, tum Superciliosum) Mendax, Suſurroneum, Dicax, (id eſt Garrulum, Clamoſum, Loquaculum, ſeu Vaniloquum, et Intemperantis linguæ; vel Sermonis inſolens, et immodicum, aut verbis nimium) Detrectatorium, ſeu Oblatratiuum, Impudens, Scommaticum (ſeu Conuiciatorium, Satyricum, Aculeatum aut Cauilloſum) Succenſorium, Illuſorium, Nugatorium, Argutulum, Joculatorium, (*viſu amabile, facieque amœnum, intolerabile factis et moribus*) Sugillatorium, Procax, Vexatorium, Inſimulatiuum, Humile, Tenue, Abiectum, Puſillanime, Superſtitioſum, Flagitioſum, Probroſum, Scandaloſum, Impotens ſui, Diſſolutum, Prodigum, Luxurioſum, Voluptuarium, Delicatulum ſeu Delicioſum, Effœminatum,

tum, Seditioſum, Effrene, Inquies & Turpidum, ſeu Turbulentum, Incentorium, Suggeſtiuum, Vecors, Inſolens, Refractarium, Calcitroſum, Audaculum, Inſanabile ſeu Incorrigibile, Pernicioſum ſeu exitioſum, Aſperum, Immoderatum, Horarium, Ambulatorium, Mobile, Inconſtans vel Inſtabile, Fluctuabundum, Vagabundum, Leue, Credulum, Fragile, Lubricum, Recidiuum, Latebroſum, Furtiuum, Erroneum, Opinatiuum, *Alieni rimans & interpres, ſui obtegens*, Implicitum, Obſcurum, Criticum, Vertiginoſum, Veſanum, Fanaticum, Extenuatiuum, aut ſecus Exaggeratiuum, Exprobratiuum, Mirabile, Varium, Phantaſticum, Ambagioſum, Chimericum, Intricatum, Labyrinthoſum, ambiguum (ſeu Anceps) Neutrale, Deceptorium aut Fallax, Infidum, Mille artifex (quod & Machiauelliſticum vocant) velatæ aſtutiæ, ſeu palliatæ malitiæ, Mentitæ frontis & formæ, Captioſum, Impium Iniquum, (ſeu iniuſtum) Auarum, Parcum (ſeu Tenax) Subdolum, Priuatipetum (*id eſt*,

eſt, in tantum hoc aut illud agens, vel non, tum amicitias colens, in quantum priuatus reſpectus adeſt, aut ſe transferens, vnde plus vtilitatis ſperatur, amicitias vtilitate probans. Venale, Quæſtuoſum, *cui id æquum, Honeſtum, id ex publica libertate nihilque turpe quod fructuoſum*) Rapax, ſeu Alieni cupidum, Effrons, Præuaricatorium, Falſarium, Hyppocriticum, Simulatiuum, Sycophanticum,, Infame, Perfidum, Verſatile, Iniurioſum, Graue, Doloſum, Inſidioſum, Subaſtutum, Verſutum, (ſeu Vafrum) Quoduis ſtruendi et deſtruendi artifex, Temerarium, Furioſum, Sæuum, Efferum ſeu Tyrannicum, Vindicatiuum, Sanguinarium, Inexorabile, Contentioſum (vel Diſcors et Diſſidioſum) Rixoſum, Aduerſum, Criminatorium, Suſpicax, Diffidens, Rimatorium, Indaginoſum, Subſtultum ſeu Fatuum, Intruſum, Adulatorium, Aſſentatorium, Importunum, Petax, Seruile, Nimis placens (vulgo *Placentinum*) Effuſum, Immodicum, ſeu per omnia nimium, Fatigabile, Tardum (ſeu Pigrum, Deſidioſum,

ſum vel Socors, & Operas fugiens) Procraſtinatiuum, negotio pendulum, Ignauum, Languidum, Effœtum (ſeu Exoletum, Exhauſtum vel Enerue) Fractum, Otioſum, Molle (ſeu Infirmum) Reſpectiuum, Hebes, Iners, (ſeu Imperitum vel Rude) Friuolum, Ineptum, Vulgare, *Impar nec proportionatum ſuæ ſorti, vel negotio* (aut ſecus) *ſupra ſortem vel negotium.* Debile, Stupidum ſeu ſtolidum, Obtuſum, Incapax, Non intelligens, Confuſum, Durum, Inhumanum, Tetricum, Diſtractum, Miſtum, Suſpectum, Omnium formarum, Nullius aut inferioris iudicii, vnico verbo non ſatis exprimendum.

Dein generis INDIFFERENTIS ſunt.

Ingenioſum, Officioſum ſeu Obſequioſum, Largum, Inſinuatiuum, Acutum (ſeu Subtile) argutum, Diſcurſiuum, Lepidum, Facetum, Iouiale, Familiare, Affectatæ ſimplicitatis, Illecebris potens, Seria iocis miſcens, demerendis hominibus genitum, Lautum, Facile (aut ſecus) Difficile, Domeſticum, Solitarium

N (aut

Segrex, vel ſeceſſu gaudens) Melancholicum, morum & vitæ contractioris) Triſte, Auſterum, *Omnibus amicum, Nemini familiare*, Reconditum, ſecretum, Arcanoſum, Circuitiuum (id eſt, quod directe cauet aut veretur) Apprehenſiuum, Meditabundum, Diſſimulatiuum, coacti moris (*id eſt, quod non ad Naturalem libertatem Venuſtatemque, ſed velut coactos actus habet, nec ab intima virtute, ſed ab affectato artificio*) moræ impatiens, Properum ſeu Feſtinans, Feruidum, Sollicitum, Sedentarium, Priuatum, Taciturnum, Arcani capax, Scrupuloſum, Zeloſum, Rigidum, Indignabundum, Seuerum, Cenſorium, Negotioſum, Auctoritatiuum, priſci moris, Immobile, Stoicum, Sequax, Flexibile, Scholaſticum (*quod magis Scholam & curioſitates rationum, quam praxim ſapit*) ſibi Fidens, Securum, Audax, *cui nihil arduum, nihil ſupra ſpem, in obſtantia ruens*, Luctabundum, Satagens, Vaſtum, Extremum (id eſt, per interualla in ſummo gradu boni aut mali, repente ſibi contrarium

trarium) ſed hæc in indifferenti ponenda, prout in bonam aut malam partem agunt.

Alia igitur *Ingenia*, ex bono genere magis aut minus participant & ſunt bona, aut meliora.

Alia mere ex genere malo, & ſunt peſſima.

Alia ex vtroque ſimul. Prout vero minus ex malo, plus ex bono trahunt, (triſti enim priuilegio fragilitatis humanæ, nemini fere per omnia bonum eſſe licet) vtcunque temperantur, aut magis aut minus mala ſunt.

Demum: Alia *Ingenia* hominum. Dum quoduis genus vitii erudite exercent, ex quauis plane virtute trahunt partem, miſtim, ſimul virtutis, ſimul aſtutiæ (*& actionis vnico verbo non ſatis exprimendæ*) peritiſſimi artifices. Quo ſub pallio, facile rebus imponunt, ſunt vero omnium ingeniorum publicis priuatiſue negotiis verſandis aſtutiſſima, ſimulque viuendo familiariſſima, non enim ſimplici ſtylo agendi rem transmittunt, ſed agunt to-

tum ex arte, & cum condimento, obuia & vltro lacessens (iocisque respersa) inest comitas, solutior (ad familiaritatem) conuictus; querulantibus & afflictis (notis atque ignotis) prompta condolentia, effusa promissa, res vero, ipsaque largitio, admodum pauca, sed nisi pro tempore amœna, & prius ante ostentata, ideoque expectatione grata. Offensarum deinde aperta dissimulatio, aut ioco eludens argutia, cum tamen sensim immineat, velut per incuriam vindicta, eo magis intimum amicum feriens, quo subtilius & ex occulto meditata, vt fere talia ingenia, *Uniuersalia* vocauerim, nisi sint in materia obliquorum. Nihil illis tentando magnum aut difficile, (sed pari ausu, sæpius vero neglectim, velut somnum & inertiam simulantes, *immo specie iocantium magis, quam serio*) aggrediuntur, velut subiugatam materiam versant, membratim excuriunt, per digitos transmittunt, principium, medium, finem, apte concordant & exsequuntur, aut secus pro arbitrio negligunt, explicant

explicant se familiariter, nec hærent, nec aduersis confunduntur. Cum vero obtrudunt falsas imagines virtutum, & inescant specie boni, vitia liberius exercent, decipulis (Sirenarum ad instar) sine sensu plerosque inuoluentes, vt non prius capi se sentiant, quam dum sunt, nec regressus amplius datur, vt recte haleantur Ægyptiorum latronum more (apud Senecam) quos *Philistas* vocabant, *qui in amicitiæ speciem, in hoc complectebantur obuios, vt iugularent*, vel denique alias, sunt, velut de quodam ait Tacitus: *Cui quamuis infami inerat industria: nec virtutibus, vt boni, sed quomodo pessimus quisque vitiis agendo valebat.* Talia ingenia rarius tulit orbis, vtque verum fatear, ætate mea, quæ vidi (inter) quæ noui, vix duo aspexi.

Nec illud pensandis pro recta virtute ingeniis omittendum.

Per *Excessum* aut *Defectum* boni, falsam speciem nobis imponi virtutis, idque pro defectu iudicii; cum non probe dignoscere scimus, ex eoque fallimur,

 sæpe

virtutem dictitantes, cum ineſt facto vitium, vnde iniuria fiat rectis, dum prauis ex falſo, nomen virtutis, & laus adſtruitur. Alibi ſparſim; hic accumulatiſſime ponimus cautionem.

Pœna igitur & debita Caſtigatio, (ſeu *Juſtitia Correctiua & Pœnalis*) ſæpe degenerat (*per Exceſſum ex Abuſu*) in Seueritatem nimiam, aut Sæuitiem vel Crudelitatem, grauitatem, importunitatemque rigoris, immo in vindictam vel vltionem, aut ex præcipitantia in preſſuram innocentiæ. *Juſtitia reſtitutiua* aut *Commutatiua*, in grauamen indebitum, emunctionem fortunarum, circumuentionem, extorſionem, et iniuriam. *Amor æquitatis, aut titulus Patrocinii; tum Protectio, vel alias Innocentiæ ſuæ tum aliorum, aut iniuria vel damni (immo quandoque legum, publicique boni) defenſio aut zelus*, per exceſſum degenerat, in Præuaricationem (ſeu irritationem) cauſæ, ac ipſius legis, tum iuſtitiæ, aut in oſtentationem inſolentem poteſtatis & potentiæ, aut in affectatum æquitatis titulum, alte-

alterius vero partis iniuriam, grauamen, ſeu deſpectum; Ex eoque in modum indebitum & inquietum agendi, tum in maiorem recti ordinis (immo nonnunquam quietis mutuæ) irritationem, ſeu in exacerbationem conflictumque (prout potentes ſunt) partim & publicas turbas; vt quandoque *reſpectu emergentium* virtus diſſimulationis (intra prudentiam adhibita) plus proſit, quam æquitatis prætenſæ, aut actionis, nimius rigor, ſcrupulus, & præcipitantia. *Uſus ſummæ poteſtatis*, degenerat per Exceſſum, in Inſolentiam pro libitu agendi, violationem iurium, ac poſt oppreſſionem. *Ordo debitus & poteſtas*, degenerat plerumque in Juſſorum inſtitutorumque intolerabilem grauitatem aut rigorem ex eoque præcipitantem pœnam, & importuna verbera, immo nonnunquam, ex inconſiderata ordinatione, in maiorem confuſionem ordinis & rerum. *Politica praxis, & neceſſaria legis regula*, in actionem Stoicam, aut Scholaſticam ratiocinationem, (tum intra diſcurſum, citra

vero praxim) naximas. *Iusta potentia* in oppresſionem aliorum, tum iniuriam. *Ratio ſtatus* in nimium regendi rigorem, prætenſa iura Maieſtatis, & triſtem inquiſitionem. *Æqua tributa & ſubſidia belli*, in inſolentem emunctionem ſubditorum, *Bona inſtituta*, *leges & crebra conſultatio*, per Exceſſum pariunt, multiplicitatem edictorum (immo Leuitatem et contradictoria) ac deinde abuſum, iuſſorumque contemtum. *Catholico-Politia*, per nimium rigorem et exceſſum, degenerat in preſſuram populi, ac poſt in *Sophiſto-Politiam*, et obliuionem conſcientiæ. *Libertas* in licentiam. *Maturior recollectio*, *Deliberatio & multa Conſilia* in mobilitatem ingenii, tum conſilii et facti, tam in inconſtantiam; aut ſecus in maiorem pertinaciam, vel animi obfirmationem in præconcepto, aut etiam tarditatem; vnde agendi tempora, deliberando conſumantur. *Actiuitas & Feruor ſeu viuax animus, tum mens ſeria vel negotioſa, promptaque actio*, in igneum (et inquietum) ſeu inſolentem genium, Factionem, Errores, Impetum, exceſſiuam iram, et pœnitendorum occaſionem. *Diſſimulatio*, degenerat per Exceſſum, in reconditam iram, ex eoque circumuentionem, fraudem, occulta molimina, et Vindictam, vel ſecus in obliuionem pertinentium aut incuriam.

Dicam vltra. *Liberalitas*, *Beneficentia ſeu Munificentia*, per exceſſum ſeu abuſum, degenerat in prodigalitatem, aut profuſionem. *Virtutis præmium*, *ſeu iuſtitia Diſtributiua*, *vel præmiatiua*, in adulationis tum officiorum (quæ moſchum non ſudorem, aut puluerem redolent) recompenſam, vel in prouocationem temerariæ cupidinis petacium (quibus poſtea dando non ſufficias, aut ſine offenſa negare non poſſis) ex obuia facilitate dandi. *Parſimonia*, *& Debitus* (fruendi aut diſpenſandi) *Ordo*, in Parcitatem. *Fortunarum licitum augmentum*, *& Frugalis, modicusque bonorum uſus*, in Auaritiam, et Inuidiam alienæ fortunæ, tum affluentiæ. *Affluentia*, *rectaque bonorum fruitio*, degenerat ex abuſu, in Oſtentationem

nem aut Luxum, vel inanium ſtudium, ex eoque occaſionem defectus, immo (per decoctionem bonorum) inopiæ. *Juſtus petendi & habendi prætextus*, per exceſſum degenerat, in aſtutas inuentiones, inquietam actionem, appetentiam alieni, importunitatem, ſeu inſolentiam petitionis et inſtantiæ, circumuentionem, imposturas, vſurpationem, tum rapturam. *Licitum acceptum aut munera*, per exceſſum (immo per actus frequentatos) degenerat, in Inuerecundiam accipiendi, deinde amicitiæ et ſeruilis obſequii (tum conſcientiæ ac denique veritatis) venundationem, tum in appetendi abuſum, immo in corruptionem virtutis; *Magnificentia* in Superbiam et Profuſionem inutilem, vel ſuperfluorum (immo quandoque difficilium, ne dicam impoſſibilium) conatum, et ſua prompte perdendi ſtudium. *Innocentiæ excuſatio*, per exceſſum degenerat in praxim euadendi, fallacias, vel artificioſum effugium (quod vulgus vocat aſtutam inuentionem) *Accuſatio iuſta, ſeu petitio iuſtitiæ*, degenerat

rat per exceſſuu in malignitatem, imponendi ſcientiam et mendacia.

Deinde *Morum amœnitas*, degenerat per exceſſum in Leuitatem. *Conuerſandi amor & Hilaritatis (ſeu Feſtiuitatis) ſtudium*, in Petulantiam, imo quandoque in otioſam vitam, Propinationem, ac poſt Diſſolutionem linguæ, actionis, & inhoneſtatem, vel quales otii ab fonte emanant malorum riui. *Affabilitas & promptitudo ſermonis, tum Vrbanitas*, in affectatam actionem, Inſolentiam, importunitatemque verborum, ſeu loquacitatem. Deinde, in Diffamationem, imo in leuitatem reſponſi, ex eoque occaſionem, vt emergant pœnitenda. *Sinceritas verborum & Actionis, Confidentia, tum candor, Ingenuitas & Apertus animus*, in Propalationem tacendorum, & impatientiam ſecreti, tum in proditionem ſui (& aliorum, rerumque) incautam, & in occaſionem emerſuri damni, aut in meram garrulitatem, immo in facilitatem nimiam, & leuitatem actionis. *Promptitudo Amicitiæ*, habet exceſſum, Actionis leuitatem,

aut facilitatem cuiuscunque obuiæ amicitiæ, tum effusos & nimium apertos, in speciem sinceritatis actus, ex eoque Instabilitatem, seu Inconstantiam. *Officii tum obsequii promptitudo, Alacritas, aut Diligentia*, degenerat in Intrusionem, tum importunitatem, & parit lassitudinem, dein leuitatem conciliat, immo parit mutabilitatem, aut amorem quæstus, vt illuc amicitia transferatur, vnde plus vtilitatis speratur (velut alibi diximus.) *Facetiæ, Affabilitas aut iocositas*, parit per excessum importunos sermones, Dicacitatem, scommata, Vexationem, Diffamationem, seu Obtrectationem, & Sugillationem rerum, aut plerumque mendacia, dein parit euitatem. *Amicitiæ sinceritas & confidentia* degenerat in nimiam familiaritatem, ex eoque contemptum, vel alias (sub prætextu confidentiæ) degenerat in insolentiam, indecentiam dicti aut actionis, fallacias, iniuriam, ex eoque iurgia, tum offensas. *Verecundia, Mansuetudo*, seu (dicti, aut facti, vsusque fortunarum) *Modestia*, in abiectam humilitatem, & cultus

tus

tus indecentiam, Inciuilitatem, immo in sui posthabitionem, seu vilipendium, tum quandoque in meticulositatem, seu pusillanimitatem. *Debitum officii, seu honor in alios*, degenerat per excessum, in Seruilitatem, aut turpem dependentiam, & de rebus sensum, non qualem recta ratio aut ingenuitas dictat, sed qualis inspiratur, tum in animi abiectionem, aut in deforme obsequium, nec ingenuam adulationem, sui vero ipsius contemptum, seu prostitutionem honoris, immo nonnunquam in politicam hypocrisin. *Auctoritas tum honor debitus sui, aut Grauitas*, deinde (quod proximum est) *iusta petitio promotionis, præfecturarum, Officii, tituli* . per excessum degenerat, in turpem Ambitum, Superbiam, præsumptionem, Factiones, Fastum, Æmulationem, Æqualitatis odium, seu (nonnunquam in Inciuilitatem ex aliorum contemptu, vel (quidquid alicui accessurum in melius) Inuidiam, imo destructionem; Superfluum vero sui cultum, formularum exigendarum morositatem & nimium scrupulum,

pulum,

pulum, immo (vt affatim fastuosis suppetat impensis) degenerat in Auaritiam, & oppressionem quoquomodo minorum, tum iniuriam, ne dicam in publicas turbas, velut superbiæ malum, multa cognata vitia post se trahit, priuatim & in publicum.

Addam super hæc. *Beneuolentia vel Bonitas, seu promptitudo*, degenerat per Excessum, in Facilitatem nimiam ex improuidentia, aut in actionis (promissorumque) leuitatem, et sermonis, seu in actus incautos et incurios (quod simplicitatem, immo quandoque *stupiditatem* vulgus vocat) *Bonus pro æquitate zelus, aut debita in contraria indignatio: Dein (Prætextu seruandi ordinis) Rigor, Feruor & Austeritas*, degenerat in iram excessiuam, Affectum aut importunum ardorem, seu flagrantiam, et inquietudinem mentis, modumque indebitum agendi. *Clementia, tum Commiseratio, & ex eo prætensum Patrocinium*, in Indulgentiam nimiam et Impunitatem, immo Incentiuum vlterioris malitiæ. *Benignitas aut teneri-*

tudo, affectus, in Mollitiem animi. *Necessitas*, (quoad corpus) in nimiam eius mollitiem et superfluorum curam, tum appetentiam. *Recta suæ virtutis conscientia, et elegantia attributorum*, in Philautiam, complacentiam sui, aut Jactantiam. *Generositas animi*, prout huic vel alteri virtuti, aut simul pluribus annexa est, (nam sola, præsertim sine heroicis virtutibus animo inesse nequit) degenerat diuersimode in Excessum actionis & Insolentiam, Impudentiam & prostitutionem famæ, aut denique (*ex elatiore rerum contemptu*) degenerat, in pertinentium incuriam, vel prout, per diuersa genera vitiorum, aut excessum virtutum, passim hic suggestum habes. *Religio vel Pietas*, in superstitionem. *Probitas, pietas aperta et titulus Virtutis*, in Hypocrisin. *Quies, Modestia, tum animi tranquillitas, et laxamentum, aut prætextu requiei cessatio*, in Ignauiam, Desidiam, tepidas actiones, & amorem otii, aut in Inciuilitatem, vel solitariam & insociabilem Vitam. *Taciturnitas*, in Reticentiam op-

por-

portunorum. *Timida conſcientia*, in inanem ſcrupulum. *Juſtus dolor animi, aut multa rerum conſideratio*, degenerat in mœſtitiam, ſeu mentis angorem, Impatientiam, indignationem, Iram exceſſiuam, Abominationem rei vel perſonarum, & indebitam actionem, aut denique furorem.

Demum *Audacia tum animoſitas vel Magnanimitas*, per exceſſum ſeu Abuſum, degenerat, in Temeritatem aut furioſam actionem, tum periculi euidentis (immo quandoque perſonarum) ex nimia ſui fiducia contemptum, aut rerum impoſſibilium ſupra vires conatum, & ex eo leuitatem, vel in impudentiam actionis, aut in inconſideratum impetum agendi. Deinde in falſam præſumptamque audaciam, ſeu deſperationem. *Securitas* in ſummam incuriam, aut negligentiam, & contemptum alieni conſilii. *Fortitudo* degenerat per Exceſſum, in Impetuoſitatem, aut Ferociam. *Juſtum bellum* vel *Belligeratio* degenerat in inſolentiam irritandi, aut temeritatem, flagitia

flagitia, deuaſtationem, protractionem, aut carnificinam, inutilem alieni vſurpationem & rapinam, vel rabioſam vltionem, aut quæ alia triſtis eius partus proles. *Perſpicacitas, licita cautio aut circumſpectio, tum conſcientia alicuius defectus*, in Reſpectum nimium, Diffidentiam, vanas ſuſpiciones, Deſponſionem ſeu Abiectionem animi, Credulitatem nimiam, reconditam mentem, inanemque timorem, ſeu puſillanimitatem; aut non nunquam in ignauam deſperationem. *Conſtantia et ſtabilitas, vel infractus animus, ſeu robur animi*, per exceſſum degenerat in Pertinaciam. *Celeritas tum properantia ſeu Actiuitas* in præcipitantiam aut Impatientiam moræ, dein in Inanimaduertentiam, occaſionem (immo accelerationem) mali aut contemptum conſiderandorum, & incuriam, ac poſt damnum. *Cunctatio*, degenerat per exceſſum, in Tarditatem, Amiſſionem occaſionum, tum in Ignauiam. *Cautio induſtrioſa, vel præuidendi prudentia*, in Aſtutiam, fallacias, Verſutiam & Dolum.

Veritas Propositionis, seu Narrationis, aut Dictorum prudentia; in Contentionem, Pertinaciam sermonis, ac dicacitatem superfluam, deinde in Impugnationem oppositæ veritatis, seu affectatam destructionem illationis, loquendo nonnunquam, magis ex alieno instinctu & arbitrio, tam pro aucupanda gratia; quam pro veritate: *Veritas correctiua, aut debita reprehensio, tum censura*, degenerat per Excessum, in Importunitatem dicti, Diffamationem, Exprobrationem morosam, tum exacerbationem & offensas. *Prudentia ratiocinandi aut Discursus*, per excessum parit Garrulitatem; aut Ostentationem, & Insolentiam dictorum, fucatos sermones, friuolas probationes, & verborum rationumque pigmenta: *Studia et artes*, Curiositatem, quæstionem, pruritum disputandi & contentionis, tum importunas nouitates. *Scientia et Experientia*, degenerat plerumque in nimiam sui confidentiam & præsumptionem prudentiæ, alieni consilii rationisque contemptum; & vltimo habet, Confusionem. *Ac*

Ac deinceps.

Ex defectu virtutum, vitia sunt. Ideoque aliud est *recte agere* vel *esse prudentem agendo*, aliud agere feliciter ex successu, scire incipere et tentare leuiter, aut trahere tantum: Immo secus, agere neglectim et metuenter, vel denique per audientiam et pro impetu animi, ignoranter inquietare actiones, irritare, vexare, et confundere materias. Aliud *Probe (dicto facto) expedire, tum adimplere, vel alias, respondere directe*, aliud eludere. Aliud est *Esse scientem*, aliud Sciolum. Aliud *Esse audacem*, aliud Audaculum, Aliud est, *Esse in aliquo genere Virtutis*, aliud sibi videri, aut haberi velle affectate. Aliud est *dolere, vereri, vel agere aliquid filialiter, id est, pro virtutis amore*, aliud pro seruili pauore, impulsu, aut respectu, seu pro formidine pœnæ. Aliud *esse Amicum etreum, Constantem, Promptum*, aliud agere Adulatorem, Assentatorem, Hypocriticum,

 verbo

verbo effuſum, leuemque, realitate vacuum, Intruſum, menſæ aſſeclam, mentitæ frontis, Sycophantam, Corteſanum, Suſurronem, Obſequioſum, tuæ fortunæ (immo ſui cauſa) non tui amicum, vel potius magis familiarem, quam amicum, viſu amabilem, re ipſa ſubdolum. Aliud *Exequi aut eſſe in re, tum ſpe certa vel praxi*, aliud eſſe tantum intra verba, promiſſaue, tum diſcurſum, aut intra fallacia omina ex futuro euentu. Aliud eſt, *Nolle ſponte ceſſare, quieſcere, aut ſibi conſulto* temperare, aliud deficere, otiari, vel plane non poſſe, velut argute Seneca: *Nolle, in cauſa eſt, non poſſe, prætenditur.* Aliud eſt, *Conſilium petere*, aliud vexare, tentare, aut expiſcare tantum, ſeu quærere placentia et aſſenſum, velleque decipi. Aliud *Conſilium dare*, atque aliud materias irritare, eludere, immo nonnunquam ſuauia innuendo (aut vera omittendo) adulari, aſſentiri, rebusque illudere et denique fallere. Aliud *Habere iuſtam agendi cauſam*, aliud habere affectatum prætextum. Aliud eſt, *Facere quod*

eſt virtutis et eſſe realiter bonum, aliud ceſſare a malo, et eſſe tantum non malum, velut ille de Galba: *Magis extra vitia, quam cum virtutibus.* Aliud eſt, *Eſſe diſcretum (vt vulgus communiter Officioſitatem Politicorum, ſeu Promptitudinem vocat)* aliud oblitum ſui, et eſſe plane rerum incurium, mollem, et nimia familiaritate peccare. Aliud eſt, *Eſſe eloquentem aut perſuadendo fortem:* aliud eſſe affectate loquaculum, pigmentis verborum et coloribus ludere, imponendo rebus aliis, dein alias per aſtutiam et Sophiſmata eludendo, (tum prout conducit, amplificando, extenuando, obtegendo) falſa ſtatuere, proba inuertere, perſonas denique, resque fallere. Vel ſi quæ dantur, aut rectius dici poſſunt alia.

Exinde, pro inſolentia ingenii, plerumque vitiis, nomina virtutum imponimus, aut ſecus per malignitatem, vitiorum nomina, adſtruimus virtuti, quod neceſſe (recto ingeniorum virtutisque penſatori) cauendum.

Hinc proximum dicere TRIPLEX POLITICORUM GENUS,

I.

SUnt *Catholico-Politici*, qui rationes status et artes agendi, ad regulam conſcientiæ vocant, aut quod extra ſit, vtile, ſecurum, laudabile, æque illicitum putant, candidæ mentis, nec ancipites, aut ex ſimulato captioſi, cauti tamen et prudentes. Horum actiones, apud verſutos præſertim & obliquos (quibus occaſio faciendi pro iuſtitia eſt, & niſi dicta circuitiua, factaque arcanoſa non aperta, ſed obliqua, tum inuoluta placent) ruditatis notam ferunt, verum Deus illis, vti rectis, aperte fauet, et ſupra media humana ſuccurrit, vt plus ſolidiusque poſſint, quam alii.

2.

2. *Stoico-Politici ſunt*, qui inter honeſti regulam, quidquid agendum ſit; actum quidem volunt, ſed cum ad Stoicum rigorem ſe componunt, et cuncta vocant, nihilque caſui, tempori, et rebus condonant, moroſi aut *Scholaſtici* Politici ſunt potius, quam prudentes et Practici. Nec ſanant aut componunt res, ſed materias irritant ſæpius, triſtes aſpectu, contracta fronte, facie ſuſpenſi, non ad ciuilem comitatem, ſed velut ex Cathedra, totum agentes, rapiunt res agendas, non reprehendunt, vrgent non amant, nec etiam amantur.

3. *Sophiſto-Politici*, qui res agendi, fallaciis refertas habent, acerbitatem factorum, iocis eludentes, ſeu obtegentes ſuauiloquio, virtutis tum amicitiæ laruam induunt, quo malignius noceant, poſt rem priuatam cuncta ponentes, non verbo ſtant, non ſcripto, ſed totum ad ſuum ſenſum detorquent, licita, illicita, pari ſtudio inuoluunt, eoque magis ſuſpecti, quo plus diſſimulationem inter rem agunt, ex tacito magis metuendi

Caue

Caue (ſuadeam) hos, ſed vix per ſummam prudentiam caueas. Tales plerumque ſuis artibus ſe ipſos inuoluunt, læta harum rerum exordia, ſed triſtem euentum habent. Documentis quid opus? Conſenuit orbis, nec alium illicitorum, quam triſtem vidit exitum, ſola virtus æterna manet, concutitur illa, ſed non frangitur.

Quartum genus Politicorum aſſignari poteſt, qui ſunt Intermedii, de his iudicium non fero. Tu fer *Lector*, libenter audiam, nec inficiabor.

Hæc mea Catholico-Politiam loquuntur, & ſuadent Lectori.

Laus Uni in S S. Trinitate DEO.
& vni Virgini Matri Dei gloria.

F I N I S.



